UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum

In Duos Libellos Partitum

De Decimis, oblationibus, Sepulturis, bonis Parochorum, aliisque scitu utilissimis materiis

Engel, Ludwig

Salisburgi, 1668

urn:nbn:de:hbz:466:1-40891

Visual Library

Emptus Liv est liber à Bonifacio tractatum altera parte ao 1574 Imperii

G. II. 7.
Th. 2225!

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

(Hfl. 2225)

MANUALIS PAROCHORUM

LIBELLUS II.

DE

Decimis, oblationibus, Sepulturis, bonis Parochorum, aliisque scitu utilissimis materiis.

AUTHORE

P. LUDOVICO ENGEL, Ord. S. P. Bened. Exempti Monasterii Mellicensis in inferiori Austria Professo, J. U. D. Eminentissimi Cardinalis & Archiep. Salisburg. &c. &c. ac Illustriss. & Reverendiss. Princ. & Episcopi Viennens. &c. Consiliario Ecclesiastico, in Alma Universitate Salisburgensi SS. Canonum Primo Ordinario Professore.

SALISBURGI,
Typis & Sumpt. JOAN. BAPT. MAYR, Aulico-Academici Typographi & Bibliopolæ, 1668.

monasterij Admontensis

EMINENTISSIMO
CELSISSIMO ET REVE-
RENDISSIMO.
S. R. E.
CARDINALI
ET S. R. I.
PRINCIPI
AC DOMINO DOMINO
GUIDOBALDO
E COMITIBUS DE THUN, &c.
ARCHIEPISCOPO
SALISBURGENSI
SEDIS APOSTOLICÆ
LEGATO NATO
EPISCOPO RATISBO-
NENSI
S. C. M. AD COMITIA
IMPERIALIA COMMIS-
SARIO PLENIPOTEN-
TIARIO &c. &c.
DOMINO DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO

EMINENTISSIME PRINCEPS, *DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.*

SOlaris Mundi oculus dum unam terræ partem sereniſſimo intuitu perluſtravit, non gravatur etiam alteram inviſere luculento teſtimonio, utramque ſuam, utramque ſibi gratam eſſe. Tu Eminentiſſime Princeps, qui ſolis inſtar non tantùm Horizontem Salisburgenſem, ſed & Ratisbonenſem, imò Orbem præclariſsimis Sapientiæ & virtutum

Tua-

Tuarum radiis illuminas, priorem *Manualis* mei partem Tuo illustrissimo *Nomine* irradiatum in gratiosissimum aspectum admisisti: Non dedignare nunc ad *Alteram* quoque Clementissimo oculo Te demittere, quam ad pedes Tuos humillimè depono. Quod Sol in Mundo, quod Adamas in Manu, *id Nomen Tuum* in *Manuali Parochorum*, ab hoc lucem, ab hoc decorem accipit.

Non vult Manuale meum ab alia manu patrocinium, quàm â Tua: si enim litteraturæ Patronum quærat, secundus es nemini: Imò Princeps. Pallas, ipsa toto Musarum & scientiarum stipata famulitio Regiam sibi in Tuo Cerebro collocavit, tanto augustior, quanto in Eminen-

minentissimo Principe sublimior, & glorioſior. Loquantur ſapientes & docti omnes, quibuſcum eſſe, deliciæ Tuæ ſunt, quaſi totus ſis melior pars Tui, RATIONALIS ANIMA, aſpernatus inferiora animalis potiùs, quàm hominis oblectamenta. Idem gratiſsimo teſtimonio adſtruet Academia Tua Salisb. quam ſemper ſingulari & gratioſiſſimâ curâ foviſti, protexiſti, conſervaſti; nempe

Non minor eſt virtus, quàm gignere, parta tueri.

Confirmaſti eiuſdem Privilegia, auxiſti ædificio, frequentiſſimâ Tuâ præſentiâ in Diſputationibus & Actibus publicis, non nunquam etiam doctiſſimâ interlocutione in qua-

vis

vis scientiarum Materia animâsti studiosam juventutem, gnarus, litterarum studia munimentum esse Ecclesiæ Catholicæ, & per hæc (juxta dictum elegans Frider. Imper. *in Auth. habita. C. ne filius pro Patre.*) totum illuminari mundum, & ad obediendum Deo, & eius Ministris vitam subditorum efformari.

Si ad executionem Pastoralis & Parochialis officii Patronum desideret *Manuale Parochorum*, ecce ades Eminentissime Princeps Pastor optimus, vigilantissimus. Quanta Tibi cura sit animarum, quanta in introducendis Canonicis & œcumenicis præsertim S. Concilii Trid. decretis solicitudo, in extirpandis hæresibus Zelus,

evi-

evidenter probant gratiosissima Tua Decreta, statuta & ordinationes hactenus emanata. Patere ut pro Tua Laude, pro aliorum utili notitia quædam de multis breviter hic inseram.

I. Anno 1654. *Mox ad initium Tui Regiminis suspendisti omnes Confessarios Tuæ diœcesis, usque ad novam approbationem: Certosque casus Tuæ absolutioni reservâsti.*

II. Eodem anno restituisti portionem congruam Vicariis in parochialibus Ecclesiis.

III. Anno 1655. *Mandâsti omnibus Archidiaconis & Præfectis sæcularibus, ut si in Inventuris hereditatum reperirent libros hæreticos, eosdem mox de hereditate*

reditate tollerent, & ad Tribunal Ecclesiasticum transmitterent.

IV. Generaliter per Archidiaconos inhiberi feciſti, ne Clerici passim pro suo libitu sine obtentâ licentiâ de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis *ad profanas causas testamentum facerent, contra omnia SS. PP. & Canonum instituta.*

V. Anno 1657. *Exactiones mortuariorum & stipendia pro administratione Sacramentorum ad lancem & trutinam æquitatis revocâsti, certum istarum exactionum modum & ordinem juxta conditionem & facultates singulorum Parochianorum præscribendo.*

VI. Cùm singulis annis circa tempus vernum complures subditi pro exercendis & locandis suis

ope-

operis ad alienas provincias emigrare, & primum ad hyemem reverti soleant, mandâsti eodem anno 57. ut hi in Diœcesim reversi testimonia peractæ alibi Confessionis & Communionis Paschalis exhibeant, non habentes intra 8. vel 14. dies protinùs confiteri, & communicare sub pœnis arbitrariis teneantur.

VII. Eodem anno 57. Generaliter imperatum est omnibus Archidiaconis & Decanis, ut in suis districtibus quot annis Synodos celebrent, & informationem celebratarum transmittant, specificando Sacerdotes, Capellanos, eorumque vitam & mores, baptizatos, illegitimos, matrimonialiter copulatos, mortuos, oppressos infantes, S. Synaxis participes, inobedientes, & hæreticos, num doctrina Chri-

Christiana habeatur sedulò, cura animarum administretur diligenter, ut populus sine querela sit, aliaque ad utilitatem Ecclesiarum pertinentia solerter observentur.

VIII. Prater Synodos etiam Anno 1659 *sollicitus Pastor & Pater jussisti, ut annis singulis Archidiaconi & Decani suas Ecclesias visitarent, & appareret, an Synodalia decreta in effectum redigerentur.*

IX. Anno 1660. *publicásti Decretum Concilii Trid.* sess. 22. De observ. & evit. in Missa. *ne in loco non consecrato, aut privatis Oratoriis sine speciali privilegio & licentia Missæ fierent.*

X. Anno 1661. *Decrevisti, ut iis qui in numerum Civium & incolarum Tui Territorij adscribe-*

rentur,

rentur, coram Parochis professionem fidei emitterent, eamque Parochi gratis susciperent, & testimonium similiter gratis super facta professione impertirentur.

XI. Anno 1666. sub censuris inhibuisti Iudicibus sæcularibus eorumque ministris, ne in Parochos, eorumque familiam propria authoritate inquirerent in præjudicium Ecclesiasticæ immunitatis.

XII. Præcepisti Iudicibus & Magistratibus, quibus exequendorum Testamentorum Ius est, ut annuatim Consistorio Tuo indicarent, quæ & qualia Legata pia relicta essent, & an hæc executioni mandata, uras quoque diligentissimè, ut ab Administratoribus piorum locorum rationes annis singulis accuratè reddantur. hæc Salisburgi. Ratis-

Ratisbonæ quoque provides studiosissimè, ut quæ per injuriam temporum & bellorum forsan Religioni, aut disciplinæ Ecclesiasticæ decesserunt, omnia denuò integritati restituantur.

Sic sic es Patronus Justitiæ & pietatis, PRINCEPS EMINENTISSIME, Columna & *Cardo* Ecclesiæ Catholicæ, Fidei & Decretorum Ejus Propagator solertissimus, Propugnator acerrimus, ut Archidiæcesim Tuam ausim propè alteram Romam nuncupare, sic in ea florent Romanæ Leges, exulant pestiferæ hæreses, Fide Catholicâ & pietate in populo undique implantatâ. non adorno Panegyrim phalerato verborum fuco, sed nuda veritate decoram. Prædicent alii, ut par est, Te *Munificum* & *Cle-*

& *Clementem* qui mox sub auspiciis Regiminis Tui onera Civium minuisti, debita Provincialium exolvisti, Reditus Capituli auxisti: non hic levis, sed aliquot centenorum millium calculus est. ut taceantur innumeræ, tum piæ, tum hospitales liberalitates. Prædicent *œconomum*, qui moderationem Imperialis Matriculæ ad partem tertiam cum ingenti emolumento Tui Principatus consecutus es, eandemque Metallifodinis, alpium, villarum & domorú utili emptione ampliâsti, solerti parsimoniâ conservas. Qui novam Sponsam Tuam Ratisbonensem Ecclesiam insigni sponsalitia Largitate obtentorum octoginta millium beâsti, ære alieno exonerâsti: quod mul-

multorum vires superavit, Tua prudentia & dexteritas conciliavit, œconomicâ quoq; industriâ hujus Sponsæ Tuæ dotem & bona ad uberiorem fructum tempore pauxillo produxisti. Prædicent *Architectũ*, qui geminarũ turrium & Capellarũ consumatione, ornamentorum item pretiosorum adjectione Ecclesiam; fonte, palatio, hypodromo, aliisque ædificiis urbem & viciniam decorâsti, juvisti: Ego Te *Episcopum* & *Pastorem*: illa extra, hoc fori mei est. Id quoque adiicio posteritati commendandum, quòd plures controversias Tuo Archiepiscopatui & Principatui motas annis pluribus, sumptibus maximis agitatas vel agitandas, amicâ compositione sopiêris. *Homo*

dives

dives virtute, PACIFICANS *in domo sua, gloriam adeptus est, & in diebus suis habetur in laudibus. Eccles.* 44.

Suscipe igitur PRINCEPS EMINENTISSIME hunc alterum Manualis Libellum, cum humillimâ devotione Tibi oblatum, adscriptum. Meque unà sub Clementissima Tua Manu & gratia conserva. DEUS Te reddat quàm diutissimè incolumem Tuo & publico bono. Ita voveo

Eminentissimæ Celsitudinis Tuæ

Humillimus & Obsequentissimus

LUDOVICUS ENGEL.

Lectori Salutem.

Quod ad calcem prioris Libelli *pollicitus sum, id en hoc* Secundo *Tibi exhibeo Lector benevole, juxta seriem, quam sequens* titulorum index *monstrabit. Si placent, cum laude in Deum Authorem refer. si quædam minus arridebunt, non rode imbellis bellua, sed erudi, aut erudiarê. qui rodendo aliorum dicta aut facta modestiæ excedunt limites, sua plerumque pandunt vitia, & insipientiam. Si docti tulerint censuram, purgabo, aut emendabo, si indocti, explodam. Potuissent fortasse nonnulla aut explicari aut expoliri accuratiùs, sed excusabunt meæ quales quales intercidentes occupatiunculæ. Neque existimet, amicus Lector, me ambitione in typum adductum esse. Sed quæ quondam de hac*

Ma-

Materia juxta Professuræ meæ officium edita fuit Scholastica disputatio ansam dedit, ut aliis urgentibus latius prosequerer. Valeat igitur Lector benevolus, & de his meis lucubrationibus ad DEI *Gloriam &* proximi utilitatem *publicatis benè sentiat, aut si aliter, cum charitate insinuet.*

APPRO-

APPROBATIO
Facultatis Theologicæ.

PRæsentem Libellum Secundum Manualis Parochorum diligenter evolvi, nihilque in eo vel Catholicæ Fidei dogmatibus, vel Conscientiæ puritati dissonum reperi, quin potiùs omnia ita clarè proposita, cautè, & solidè resoluta ac enodata, ut non tantùm summam laudem, sed & ob comunem omnium utilitatē lucem publicam mereatur. Sic sentio & censeo

P. ADALBERTUS HEUFFLER Benedictinus Admontensis, SS. Theologiæ Doctor. Eminentiss. & Reverendissimi S.R.E. Cardinalis Archiepiscopi & Principis Salisburgensis, Episcopi Ratisbonensis &c. Consiliarius. In Ejusdem Universitate Procancellarius, SS. Scripturæ Professor Ordinarius, & p. t. Facultatis Theologicæ Decanus.

APPROBATIO
Facultatis Juridicæ.

SECUNDUS hic LIBELLUS PAROCHORUM, *eruditione, claritate* & *accuratione* pari, cum PRIMO, conscriptus est: Imprimatur itaque, ut *parem* inde & D. AUCTOR *laudem* & *Lector utilitatem* consequatur; nimirum UTERQUE MAXIMAM.

FRANCISCUS MATTHIAS MAY, Juris Utriusque Doctor, & Comes Palatinus, Eminentiss. S.R.E. Cardinalis, Archiep. & Princ. Salisburgensis &c. &c. Consiliarius Aulicus, Pandectarum Professor Ordinarius & nunc temporis Inclyti Juris Consultorum Collegij Decanus.

INDEX
TITULORUM
HUIUS LIBELLI SECUNDI.

PARS IV.

Cap. 1. *De Decimis.* 1

§. 1. *Quid sint, cui, & quomodo solvantur decimæ.*

§. 2. *Quo fundamento aliis præter Parochum jus decimandi competere possit.* 30

§. 3. *Qualiter detur immunitas à solvendis decimis.* 56

Cap. 2. *De Primitiis & Oblationibus.* 82

Cap. 3. *De Sepulturis.* 93

Cap. 4. *De Parochorum potestate disponendi circa sua bona & redditus.* 130

PARS

INDEX.

PARS V.

MISCELLANEA

Cap. 1. De Constitutionibus & legibus. 178

§. 1. Quid & quotuplex sit constitutio & quænam ejus causæ. 179

§. 2. De causa materiali & efficiente legum. 191

§. 3. De obligatione legum in utroque foro. 211

§. 4. De promulgatione, acceptatione & abrogatione legum. 266

§. 5. De Consuetudine. 286

§. 6. De libris Canonicis eorumque authoritate in specie. 305

Cap. 2. De Votis. 345

§. 1. Quid sit votum, quænam ejus requisita & obligatio. 345

§. 2.

§. 2. *Qualiter obligatio voti tollatur* 368

Cap. 3. *De Iuramentis.* 401

Cap. 4. *De Vsuris.* 424

§. 1. *Quid sit usura, ac quo jure prohibita.* 425

§. 2. *De specialibus quibusdam pactis an sint usuraria.* 452

§. 3. *De restitutione & pœnis usurariorum.* 490

Casus Matrimonialis in quo sequentes quæstions. 505

I. *Polygamia quo jure prohibita, & an aliquo modo possit licere?*

II. *Matrimonia clandestina quando & quare invalidata.*

III. *Matrimonium clandestinum an obliget in conscientia.*

IV. *Sententia in causa matrimoniali an transeat in rem judicatam.*

V. *Nullitate matrimonii uni tantùm*

tùm parti cognitâ, an liceat petere vel exigere debitum.

VI. Quæ sint media ad evitandam redditionem debiti?

VII. An medium in præsenti casu apprehensum fuerit licitum?

VIII. An proles ex matrimonio illegitimo nata sit legitima?

PARS IV.

DE JURIBUS ET REDITIBUS PAROCHORUM.

CAPUT I.

DE DECIMIS.

§ I.

Quid sint, cui, & quomodo solvantur Decimæ.

1. *Quid & quotuplices sint decimæ.*
2. *Decimæ quatenùs sint juris divini.*
3. *Pro decimis Parochus habet intentionem fundatam in Iure.*
4. *Declaratio c. 2. de restit. spol.*
5. *Monasterium circà Parochiam sibi incorporatam censetur loco Parochi.*
6. *Cui Parocho solvendæ sint decimæ.*
7. *Quid sint & cui debeantur decimæ novalium.*
8. *Laici habentes Ius decimandi ex Privilegio vel infeudatione non possunt exigere decimas novalium.*
9. *Idem de Religiosis qui jus decimandi à laicis acceperunt.*
10. *Resolvitur quæstio, an Ecclesiastici haben-*

tes Ius decimandi ex Privilegio possint petere decimas novalium.

12. Fallit in certis casibus.

13. Parochus potest prohibere, ne decimæ separentur se vel suo nuncio absente.

14. An in solutione decimarum admittenda sit impensarum deductio.

15. De jure decimæ sumptibus Parochianorum deferendæ sunt in horrea Parochorum, valet tamen consuetudo contraria.

16. Moram committenti nocet interitus decimarum.

17. Decimæ non solutæ an sequantur possessorem prædii.

18. Qualis actio competat contra tertium possessorem.

19. Respondetur ad contraria.

20 Exceptio circa decimas competentes ex Laicis, vel ex privilegio.

DEcimæ sunt pars decimi fructuum tam terr quàm aliarum reru DEO in recognitio nem universalis dominii debita & ipsius ministris persolvenda. Su autem decimæ aliæ *prædiales*, qu ex fructibus prædiorum debentu ut de vino, frumento, oleo, pomi fœno, & similibus. Aliæ *personal*

qu

quæ debentur ex lucro humanâ potissimum industriâ quæsito, ut ex mercaturâ, militiâ, stipendiis, aliisque negotiationibus & obventionibus. tertium quoque genus decimarum nonnulli constituunt, quas *mixtas appellant* eò quòd partim quantùm ad productionem naturæ de prædialibus, partim quantùm ad accedentem industriam de *personalibus* participent, & huiusmodi censent esse *decimas animalium*, seu ex fructu pecorum perceptas ut lanæ, lactis, ovorum, &c. Sed magis placet, istas decimas animalium ad *prædiales* referre, tum quòd in Jure tantum duo genera decimarum, scilicet *prædialium & personalium* exprimantur *c. ad Apostolicæ 20. h. t.* tum quòd plus in illis natura, quàm industria operetur: etiam in frumento & vino magna hominum industria accedere debet, & tamen nemo dixerit, decimas frumenti & vini personales esse.

Originem habere decimas ex Jure 2
vino nullus ambigit, (si de *prædia-*

libus loquamur, secùs de *Personalibus* (ut infra in quæst. 7. dicetur) ut videre est *Levit.* 24. *Num.* 18. & *Deut.* 14. An verò etiamnum hodie in novo testamento Iuris divini sint, sicut asseritur *in c. Parochianos* 14. & *c. tuæ nobis* 37. *h.t.* inter antiquiores præsertim DD. gravis fuit concertatio, quâ illa quæstio principaliter dependet, an decimæ per consuetudinem, Privilegium, vel Præscriptionem parocho auferri possint. Sed omissis quæ fusè pro & contra passim adducuntur, hodiè magis receptum est decimas eatenùs esse Iuris divini, quantum deserviunt pro necessaria sustentatione ministrorum Ecclesiæ, quia teste scripturâ, *dignus est operarius cibo suo Matth.* 10. & Apostolus 1. *Cor*, 9. dicit: *Dominus ordinavit ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant, & qui Altari deseruiunt de Altari vivant.* Unde hoc respectu nec privilegio, nec consuetudine tolli posse, infra dicetur. Caeterùm autem quòd præcisè decim

non maior vel minor pars dari ebeat, censent unam esse de Legi- us Cæremonialibus & Iudicialibus, uæ per Legislatorem hominem in ovo Testamento acceptatæ obli- ant tantùm ex Iure humano *arg. c. n. De Purif. post part. vid. Azor. In- it. mor. p. 1. lib. 7. c. 23. Hen. Ca- if. de Decim. cap. 3.* idque non pa- im confirmatur ex eo, quod summi ontifices pridem concesserint, & dhuc concedere soleant Religiosis a- isque Privilegia exemptiones & im- unitates à solvendis decimis *c. ex arte cum seqq. h. t.* quod fieri non osset si decimæ simpliciter juris di- ini forent.

Decimæ Parocho propter Spiri- 3
uale ministerium persolvendæ unt, & ita quidem ad eum spectare ensentur, ut si cum Monasterio, lerico vel Laico seu quocunque ui Parochus non est, super Deci- is litiget, non cogatur Ius suum robare, quia fundatam intentionem abet in Iure, ex quo præsumitur,

quod decimæ ad ipsum pertineai
nisi Adversarii contrarium oste
dant. *c. cum contingat & c. cum in*
h. t. imò quamvis aliàs spoliatus
te omnia restituendus, spoliatus
men à Parocho super decimis n
restituitur, nisi plenè de Iure suo
cuerit, *c. 2. de restit. spol. in 6.*

4 Verum hunc tex. *c. 2. de rest. spol. in*
putarem procedere in circumstan
casus *ibidem* propositi, si nimir
spoliatus *aliquamdiu*, id est, modi
tempore fuerit in possessione, &
non tantùm contrà illius Ius de
mandi, sed etiam contra possessio
præsumatur. Aliàs enim daretur
sa Parochis aliorum jura liberè in
dendi, litem movendi, pacem t
bandi, scandala violentiarũ excit
di &c. quod utique juri & æqui
consentaneum non est, cum regul
sit, quòd etiam vero domino non
ceat violenter possessionem rei
apud alium existentem invadere
pœna amissionis dominii. *L. si qui*
tantam 7. C. unde vi. §. sed ne I. de

b

bon. rapt. & prædo etiam ſpoliatus reſtitui debeat, *c. in litteris 5. de reſt. ſpol. l. 1. §. qui à me. ff. de vi & vi arm.* à qua regula æquitate plena & paci Reip. conſulente non ita facile recedendum, quin potius jura juribus concordanda *c. cum expediat. de elect. in 6.* Sunt quidem, qui ex hoc textu ſtatuunt generalem *exceptionem* à regula, *quod ſpoliatus ante omnia reſtituendus ſit*, quoties *jus reſiſtit ſpoliato & aſſiſtit ſpoliatori. Hen. Can. d. L. c. 16.* Sed cum *exceptio* potiſſimum tantùm in hoc textu ambiguo fundetur, qui ad concordiam jurium & pro bono pacis publicæ aliter explicari poteſt, non video quare neceſſe ſit hanc *exceptionem* generalem ex particulari textu ſtatuere, cum alii textus non obſcurè pugnent in contrarium, videl. *c. 3. de Cauſ. poſſ. & propr.* ubi circa jus eligendi præſumptio fuit contra extraneos, pro capitulo, ut propterea Barb. *ad. d. c. 2. de reſt. ſpol. in 6. n. 8.* rectè differentiam ex modica poſſeſſione

(de quâ *in d. c. 2.*) assignaverit. Item *in c. licet. 28. de præb. in 6.* ubi detinens duas Parochias spoliatus ab Episcopo restituitur, cum tamen contra spoliatum & pro spoliante faciat jus. *c. de multa. X. & Extrav. execrabilis. de præb.* urget, quod alibi tradit Barb. *de offic. Epis. p. 3. alleg. 127. n. 41. Ricc. tom. 4. res 303. in fin. addit ad Greg. XV. decis. 312.* quod Episcopo circa jura Episcopalia in quibus habet juris assistentiam contra quemcunque, non detur manutentio, quando adversarius *est in possessione temporis considerabilis*, ergo nec in simili Parocho contra possessorem decimarum.

5 Quod si Parochia sit Monasterio incorporata, tunc quantùm ad decimas Monasteriũ censebitur loco Parochi, & tam contra Parochianos, quàm etiã contrà Episcopũ & Vicarium curam exercentem fundatam intentionem habebit. *decis. Rot. apud Tambur. de Iur. Abb. 3. Decis. 102.*

6 Quæri: autem 1. Cui Parocho solven-

vendæ sint Decimæ si quis in una Parochia Sacramenta percipiat, in altera sua prædia sita habeat?

Hæc quæstio deciditur *in c. ad Apostolicæ. 20. h. t.* ubi Pont. respondet, Decimas personales solvendas esse Parocho Sacramenta ministranti, quantùm ad prædiales verò attendendam esse locorum consuetudinem. Quid autem, si nulla constans consuetudo probari valeat, & propterea ad terminos Juris communis recurratur? R. de Jure esse probabilius, quòd Decimæ prædiales illi Parocho, intra cuius Parochiam prædia sita sunt, persolvi debeant, ne Parochiæ limites confundantur, & plurimæ lites subnascantur. *c. cum sint homines. 18. eod. tit.* Idem dicendum de decimis *animalium*, quas superius prædialibus annumeravimus, ut illi Ecclesiæ solvantur in cuius territorio aluntur. Si in duobus pascantur locis, pro diversitate temporum, decimæ inter illas Parochias dividentur pro rata temporis, nisi

consuetudo aliud habeat. Rebuf. *tract. de decim. q. 8. n. 11.*

Quær. 2. cui debeantur Decimæ Novalium?

7 Supponendum inprimis Novale aliquandò sumi *propriè* aliquando *impropriè*: *propriè* dicitur locus prius omninò sterilis ad culturam redactus v. g. si ex sylva extirpata, vel palude siccatâ agri fiant, aut si fundus, qui ab hominum memoria fuit incultus denuò ad culturam redigatur. *c. quid per novale. de verb. sign.* *impropriè* autem, si in locum ante cultum novi fructus inserantur v. g. si ex vinea aut prato fiat ager vel econtra: vel certè prout in Jure Civili Novale dicitur terra præcisa quæ anno inculta jacuit. *L. Sylva. 30. §. novalis. ff. de V. S. d. c. quid per novale.* his præmissis v. g. si Novalia intra fines alicuius Parochiæ exurgant, Decimæ eorum debentur illi Parochiæ; si verò in loco nullius Parochiæ fiant. v. g. si sylva, quæ inter duas Parochias jacens pro utriusque termino fuit assignata,

ad

ad culturam redigatur, Decimæ horum Novalium debentur Episcopo, quia ipse est Parochus loci qui proprium Parochum non habet. *c. quoniam 13. & ibi Panorm. n. 2. h. t.* Sed

Quæritur 3. an etiam Parocho debeantur Decimæ Novalium, si alius intra fines suæ Parochiæ Jus decimandi habeat ex privilegio vel infeudatione? In hac quæstione duo quasi extra controversiam sunt. I. 8
quòd Privilegium vel infeudatio aut emphyteusis de Decimis concessa *Laicis* non extendatur ad Novalia, *proprie* dicta (benè autem ad *impropria*) quia talis concessio tùm propter personam Laici non implentis spirituale ministerium, ob quod dantur Decimæ, tùm propter præiudicium Parochialium Ecclesiarum, odiosum & restringendum est. *c. tua. 25. in fin. de decim.* II. quòd Religiosi, qui Decimas acquirunt cum consensu Episcopi de manibus Laicorum justè detinentium *jux. c. cum Apostolica. 7. de* 9

bis quæ fiunt à Præl. non possint ex translatione huius Iuris in se, Decimas Novalium petere, sicut nec ipsi Laici potuissent, secundùm vulgatas regulas, quòd nemo plus Juris in alium transferre possit, quàm ipse habeat, & surrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum surrogatur. *c. 2. in fine. h. t. in 6.*

10 At magna est dissensio, utrùm si *personis Ecclesiasticis*, privilegium decimandi à S. Pontif. concessum sit, per tale Privilegium etiam Decimæ Novalium comprehendantur? Affirmativam cum gloss. & Abbate *in c. ex parte 27. h. t. per tex ibidem* plerique veteres Canonistæ tenuerunt, ut refert Barb. *in eod. cap. ex parte. 27. h. t.* ita enim sonat tex. *in d. c. ex parte. cum tibi quod maius est, sit concessum, ut videlicet Decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas exigere satis potes; quia ubi maius conceditur, minus concessum videtur.* Econtra Recentiores existi

existimant Privilegium decimandi etiam *Ecclesiasticis* concessum non comprehendere Decimas Novalium, fundantur partim in communibus Iuris regulis, quod Privilegia concernentia præiudicium tertii sint restringenda. *c. olim de V. S.* item quòd privilegia non extendantur ad futura tempore concessionis non extantia. *c. fin. de rescript.* partim verò in *cap. 2. de decim. in 6.* ubi satis clarè insinuarur, quod Ius percipiendi Decimas Novalium debeat per speciale Privilegium concedi, & non contineatur in Iure percipiendi veteres decimas. textum autem *in d.c. ex parte* accipiunt de casu, de quo loquitur, videlicet quòd Prælatus possit petere Decimas Novalium de Parochiis suo Monasterio incorporatis, in quibus loco Parochi est. *Covar. var. res. lib. 2. c. 17. n. 13. Gutier. Canon. qq. lib. 2. c. 21. n. 120. Barb. in d. c. ex parte. n. 6.*

Puto in hac difficultate inprimis inspicienda esse verba & men-

tem Privilegii; nam si habeat verba ampla & favorabilia, ex quibus colligi possit, mentem privilegiantis se extendere etiam ad Novalia v. g. *concedimus, ut omnes & quascunque decimas, vel omnem Decimationem, talis territorii percipere possis, &c.* dicendum erit, tale Privilegium etiam Novalia comprehendere, sicut id ipsum secundæ sententiæ authores admittunt. *Gutier. d. l. n.* 25. & fundamentū est in *d.c. ex parte* ibi: *ut Decimas cum integritate percipias, &c.* Cœterùm si Privilegium sine huiusmodi verbis prægnantibus tantùm in forma communi concessum sit, utraque sententia suis non destituitur argumentis & rationibus, verùm cum in causa & interpretatione novalium plurimum attendendum sit ad præjudicium Parochialium Ecclesiarum *per tex. in d. c. quid per Novale in fin. de V. S.* nec non in qualibet causa favor litigantis (si ille non sit privatus sed publicus & de Iure) considerari debeat, *c. fin. de sent. & re Iud.*

ideò

ideò putarem has dissentientes opiniones aliqualiter ita conciliari posse; Si nimirum Parochus in hac quæstione concurreret cum Monasterio, quod ipsum etiam Sacramenta fidelibus dispensare solet, & idcircò magnum favorem meretur, Iusque decimandi esset in parvo districtu concessum, ita ut Parocho sufficiens sustentatio relicta fuisset, existimarem primam sententiam pro Monasterio fore præferendam, eamque confirmo *ex c. quia circà 22. de Privil.* ubi remissio Decimarum Episcopalium Monasterio indefinitè facta extenditur etiam ad Decimas possessionum futuri temporis, quas scilicet Monachi primùm ex postfacto acquirent; *cùm nihil*, inquit ibidem Pontifex, *exceperit & potuerit excepisse, ac in beneficiis sit plenissima interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso Iure censeri.* quæ decisio & rationes Pontificis optimè adduci possunt contrà rationes pro secunda sententia adductas.

tex in c. 2. h. t. in 6. adeò clarus est, quin responderi possit, eum non loqui de Privilegio à S. Pontif. concesso, sed si Religiosi Decimas à Laicis acceperint, sicut in fine declarari videtur, item si valdè grave præjudicium Parochorum vertatur. Interpretatio verò, quæ à Covar. & aliis adfertur ad *d. c. ex parte.* quòd nimirum loquatur de Iure communi & propriis Monasterii Parochiis, in quibus Abbas loco Parochi est, non omnimodè satisfacit, tùm quod hoc modo non fuisset dubitandi ratio, quin decimæ Novalium ad Abbatem pertinerent, utpotè nullo alio ibidem existente, qui Iura Parochialia prætendere posset, tùm quòd Pontifex non se fundet in Iure communi & proprietate Parochiarum, sed in eo, quòd *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.* Quia tamen additur in textu, *de laboribus Parochiarum tuarum &c.* Ideò hoc rectius accipitur de illis Parochiis, non quæ *pleno Iure* pertinebant ad Monasterium,

rium, (circà quas ut dictum, non fuisset dubitandi ratio) sed in quibus Monasterium habebat solum Ius præsentandi, & decimas ex Privilegio, ut etiam advertit Henr. Canis. *de Decim. c.* 11. *n.* 9. Sin autem Parochus concurreret cum singulari aliquâ personâ Ecclesiastica, vel cum Monasterio quidem, sed posset probare, per amplitudinem Privilegii se multùm gravatum & vix habere congruam sustentationem, tali casu non dubitarem alteram sententiam in Parochi favorem amplecti.

Quær. 4. utrùm is, qui ex *præscriptione* habet Ius decimandi in aliena Parochia, possit decimas Novalium exigere? *R.* esse distinguendum in- 11
ter Novalia impropriè dicta, & Novalia propriè dicta. De Novalibus impropriè dictis, quandò scilicet vinea ager fit, &c. præscribens Decimas de novis fructibus petere poterit: quia Ius decimandi in illo agro hactenus possedit, & præscripsit. *c. cum in tua, 30. h. t.* De Novalibus autem

pro-

propriè dictis regulariter Decimas petere non poterit, sed ad Parochum pertinebunt: quia cum in loco Novalium ex defectu culturæ & consequenter fructuum, nullam decimationem exercere potuerit, intrat regula, quòd non censeatur plùs præscriptum quàm possessum. *c. cum contingat 29. & ibi DD. h. t.*

Idem dicendum existimo, si ex prato, in quo præscribens nullas Decimas fœni percepit, ager fiat. *Arg. tex. in d. c. cum contingat.* Licet enim huiusmodi Novale forsan in rigore sit *impropriè* tantùm Novale, subest tamen respectu præscribentis ratio, quæ in Novalibus propriè dictis militat, quòd nimirùm in tali loco nullum Ius decimandi exercitum, possessum, & præscriptum sit.

12 Quæritur autem §. utrùm præscribens nullo casu possit Decimas de Novalibus *propriè* dictis accipere? S. Pontifex *in d. c. cum contingat.* generaliter excipit casum, quo præscribens potest aliquam *rationabilem*

causam

causam allegare, ex qua demonstret Decimas Novalium ad se pertinere. Porrò quænam sit talis *causa rationabilis* ibidem non exprimitur, sed DD. unam vel alteram enumerant. nimirum 1. si Decimæ præscriptæ sint intra limites certi prædii & ibi pars aliqua inculta ad culturam noviter redigatur, maximè si pars illa minor sit, quia una eademque res non debet diverso Iure censeri, & maior pars ordinariè trahit ad se minorem. 2. si ex loco inculto præscribens Decimarum nomine aliquid saltem utilitatis prius perceperit. v. g. ex ligno, glandibus, arundinibus, &c. *vid. Gutierez. l. 2. c. 21. n. 102. Gilken de præscript. p. 1, c. 6. n. 281.* 3. videtur planè *causa rationabilis* si præscribens præter ordinarium Ius decimandi insuper præscriptionem Iuris percipiendi Decimas Novalium probare possit, demonstrando videlicet, quod hactenùs de exurgentibus Novalibus semper solitus fuerit Decimas accipere, quæ tamen *præscriptio*

si re-

si resultet ex diversis actibus respectu diversorum videtur potius assumere naturam *consuetudinis*. neque rarum est, ut idem actus diverso respectu nunc *præscriptio*, nunc *consuetudo* dicatur teste Panorm. *in c. fin. de consuet.* veluti si Episcopus sine Consilio Capituli soleat visitare diœcesim; respectu Capituli & Episcopi erit *præscriptio*, respectu diœcesis & populi erit *Consuetudo*. poterit fortassis etiam huc accommodari doctrina Panorm. *in c. cum in tua* 30. *de decim.* & Harp. *ad tit. Inst. de usucap. n.* 253. quod ex præscriptione specierum resultet præscriptio generis

Quæritur 6. an Parochus possit inhibere Parochianis, ne Decimas separent, nisi se vel suo nuntio præsente? R. affirmativè *arg. l. si suspecta.* 13 29. *de inoff. test. Spec. in tit. d. Decim. ad fin. Covar. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 8. *v. octavo.* imò tametsi de consuetudine contraria in aliquo loco Decimatio absente Parocho vel in horreo fieri soleret, si tamen Parochus posset pro-

probare, se multoties exinde defraudatum esse, justè peteret ab Episcopo istam consuetudinem declarari invalidam, ex eo quod sit damnosa Ecclesiæ & occasionem peccato præbeat. *c.* r. *de consue.*

Quæritur 7. an Decimæ de integris fructibus, vel de iis tantùm, qui supersunt deductis impensis necessariis solvi debeant ? ℟. differentiam esse faciendam inter Decimas *prædiales & personales.* in illis nulla fit expensarum deductio, secùs in istis *c. pastoralis de Decim.* rationem huius differentiæ communiter assignant, quòd Decimæ *prædiales* debeantur eo modò, quo fuerunt institutæ in veteri lege, in qua Deus non respexit ad Ius Civile futurum, quatenus ex illo verbum *fructus* interpretandum sit, sed id verbum *fructus* intellexit naturaliter, prout in fundo crescunt, & Dei beneficio percipiuntur. At verò cum Decimæ *personales* debeantur ex sola lege Ecclesiæ, nec ullum 14

de

de illis in lege veteri sit præceptum, meritò effectum est, ut in illis Iure humano inventis, & post Ius Civ. institutis, verbum *fructus* civiliter (id est, deductis impensis *l. fructus 7. ff. soluto Matrim.*) consideretur. *Barb. De Offic. Par. p. 1. c. 6. n. 181.*

15 Quæritur 8. utrùm Parochiani teneantur propriis sumptibus deferre Decimas in horrea Parochorum? R. principaliter attendendas esse consuetudines locorũ, & diœcesium, valent enim consuetudines, ut Decimæ vel à Parocho asportentur, vel ab ipsis Parochianis deferantur. *Gutier. Can. qq. lib. 2. c. 21. n. 45.* abstrahendo autem à consuetudine magis communiter sentiunt DD. de Iure obligari Parochianos, ut in horrea Parochi decimas deferant, suis etiam propriis sumptibus. *per tex. & gl. in c. revertimini. 65. 16. q. 1. Gutier. d. l. 6. n. 43. Riccius id Praxi aurea p. 21 resol. 244.* Si rusticus fuerit in mora solvendi, quando tenebatur solvere, & Parochus paratus erat accipere, inte-

interim decimæ pereant, hic interitus ad rusticum spectat, secus si voluisset solvere & Parochus noluisset acceptare: mora enim sua cuilibet nocere debet. *c. mora. de R. I. in 6.* Si tamen Parochus postea voluisset acceptare & rusticus non dederit attenditur posterior mora. *l. illud. de peric. & commod. rei vend. Gloss. in cap. cum homines. 7. in v. fructibus collectis. h. t. Pan. ibid. n. 7.*

17 Quæritur 9. an Decimæ non solutæ sequantur possessorem prædii? pone, quòd venditor prædii longo tempore non solverit Decimas, nunquid Parochus possit illas decimas non solutas ab emptore petere? R. affirmativè; ita tamen, ut emptor suum regressum ad compensationem damni propter evictas decimas contra venditorem habeat. Ratio desumitur ex *l. Imperatores 7. de Publican. & L. prædijs 36. ff. de jure fisci.* ubi ita de vectigalibus & tributis constitutum est, ut ad ea etiam *præteriti temporis* solvenda possessores

præ-

prædiorum conveniri possint, eo quòd ipsa prædia potiùs, quàm personæ obligentur. unde rectissimè argumentum ad Decimas deduci potest, tùm quod Decimæ (quæ etiam *tributa egentium animarum* dicuntur. *c. Decimæ. 66. 16. q. 1.* & ante omnia *tributa* propter prærogativam dominij Generalis persolvendæ sunt. *c. cum non sit 33. h. t.* magis à prædio, quàm personâ debeantur, sicut ea de causâ etiam Iudæi Decimas *prædiales* solvere debent. *c. de terris. 16. ubi gl. in v. persolvendas. h. t.* & habens prædia in alia Parochia, quàm ubi percipit Sacramenta, in illâ ubi eadem prædia sita sunt, Decimas dare debet, in eju
ut supra q. 1. dictum: tùm quòd Decimæ sint *onus reale*, quod in quem-
cunque possessorem transit, atque si
extent utili vindicatoria (prævia a-
18 ctione *ad exhibendum* vel *communi dividundo*, si à reliquis fructibus se-
paratæ non sint) aut si non extent, utili condictione ex *d. l. Imperatores*, junct. *c. 1. de novi. oper. nunc.* pet.

pos-

possint c. moderamine 23. ubi gl. in V. vindicent. 19. q. 1. c. pastoralis & c. cum non sit x. h. t. atque hanc sententiam cum multis antiquis tradit Pan. in c. cum homines 7. h. t. n. 6. Riccius p. 2. resol. 57. Rebuf. de Dec. q. 9. n. 9. ubi & aliud notabile referunt ex Fed. de Senis. Consil. 81. n. 2. Si Parochus vel Ecclesia propter Decimas malit venditorem convenire, quàm novum emptorem, qui fortè propter potentiam suam est difficilis conventionis, hoc esse ei concedendum, ne id, quod in favorem Ecclesiæ est introductum, ut novum possessorem convenire possit, in ejus odium retorqueatur. dùm enim venditor prædium possedit, & fructus integros percepit, nata est contra eum actio personalis, seu conditio ex Canone ad solvendas Decimas, quæ per venditionem prædij non videtur.

Verùm quæ hactenus dicta sunt non admittit Henric. Canis. de decim. q. 4. & Hen. Zoesius eodem tit. n. 52.

n. 52. eamque inter *tributa* sive *vectigalia* & inter *decimas* differentiam constituunt, quod onere *tributorum* ipsa prædia, onere verò *decimarum* ipsi tantùm fructus afficiantur: qua ratione, inquiunt, si prædia elocata sint, non domini prædiorum, sed conductores seu fructuum perceptores ad solvendas decimas obligantur. *c. dilecti.* 8 *c. à nobis* 24. *& c. tua nobis de dec.*

Attamen hac contraria opinione Canisii & Zoesii non obstante (cui suam relinquo probabilitatem) videtur mihi prior sententia Pa norm. Riccij & aliorum *c. c. LL.* optimè ex jure defendi posse, pro favore nimirum Ecclesiæ, quæ aliàs regulariter privilegia fisci & Reipub. participat, quoties casus est applicabili. *Ever. in Top. à fisco ad Ecclesiam, Laret. de Franch. de Controv. regul. 2. q. 96 & ibidem Pasqual. in addit.* indubitatum autem est fisci privilegium, ut novos possessores non soluta tributa convenire possi *d. L. prædiis* 36. *de jure fisci & L. In*

per

peratores. de vectig. L. 2. C. sine censu. &c. & tanto magis procedet argumentum *à fisco ad Ecclesiam*, cum Decimæ magis quàm tributa privilegiatæ sint & ante hæc persolvi debeant. *d. c. cum non sit h. t.* Parum verò convincit illa assignata inter & tributa & decimas differentia, quia hoc ipsum est in quæstione, an ob decimas præcisè tantùm ipsi fructus, vel potiùs prædia propter fructus quatenus decimales obligata sint, prout etiam *tributa fructuum impendia sunt*, ut ait *I.C. in L neque stipendium* 13. *ff. de impens. in reb. dotal.* & per *æs & libram* imponuntur juxta proportionem redituum sive fructuum bonorum. *Roland à valle. 1. Cons. 66. n.* 15.

Nec est bona illatio, conductores prædiorum tenentur ad solvendas decimas, ergò ipsa prædia non sunt obligata. Imò redit hic iterum pulchrè argumentum à tributis ad decimas. nam per tex. notab. cum expositione Gottoffredi *in L. obsistere* 10. *C. de annon. & tribut.* etiam tributa à colonis

& emphyteutis ſolvuntur junct. *L. 2. C. de Iure Emphyteut.* & ſi iſti revoluto anni ſpatio intra 6. menſes non ſolverint tributa, domini prædiorum conveniuntur. Et non incongruè dici poteſt, dominum in effectu per colonum ſolvere decimas, utpote cui illud onus decimarum in ſua penſione decedit, & tantò minùs à colono accipit,

Si inſtes, tributa ſolvenda etiam datâ ſterilitate, decimas verò non niſi enatis fructib⁹, ideò patere, quòd illa præcisè prædiis, iſtæ fructibus adhærent. R. ex hac inſtantia non plùs evinci, quàm quòd tributa ſimpliciter ſint onus prædiorũ, decimæ verò ſub implicita conditione naſciturorum fructuũ: præterquã quòd in magna ſterilitate, ubertate priorum vel ſequentiũ annorum aut aliorum bonorum ſeu prædiorum non compenſabili, ſaltem de æquitate etiam tributorum remiſsio facienda ſit tanquam ceſſante cauſa. *arg. L. 1. C. de omni agro deſerto.*

Dein-

Deinde *decimatio* valdè similis est exactioni *annonæ*, quæ de frugibus dabatur, *teste Gottofred. ad rubric. C. de annon.* & tamen hanc tributis comparari vix dubium esse potest ex *rubrica & t. t. C. de annonis & tributis*, & quidem in specie ad propositum nostrum, quod *annona* à defuncto debita non præstetur à coheredibus pro portione hereditaria, sed à possessore prædiorum frugiferoum decisum est in *L. 2. C. jam d. t.* dico, *à defuncto debita*, quod exinde satis apparet, quia ibi Imper. loquitur de *ære alieno* & ijs, quæ heredes quatenus heredes adeòque *ex persona defuncti* solvere debent, de *futura* enim *annona*, ubi prædia hereditaria jam sunt facta pròprium Patrimonium heredis, non fuisset dubitandi ratio.

Addo tamen, cum hæc argumen- 20
tatio à tributis ad decimas præcipuè favore Ecclesiæ & ob administrationem Divinorum procedat, eidem ocum haud fore, si decimatio competat laico, vel Clerico ex titulo

patrimoniali vel singularis privilegij.

§. II.

Quo Fundamento aliis præter Parochum Ius declinandi competere possit.

1. *Ecclesiastici acquirunt decimas ex privilegio, incorporatione, præscriptione, & donatione laicorum.*
2. *Quid requiratur ad præscriptionem decimarum.*
3. *Laici quamvis sint incapaces decimarum, possunt tamen aliquot modis eas habere.*
4. *Præscriptione etiam immemorali non potest Laicus Ius directum decimandi acquirere.*
5. *Neque etiam Consuetudine generali alicujus loci.*
6. *Laici multi habent decimas cum periculo animarum suarum.*
7. *Ex temporis immemorialitate præsumitur omni meliori modo pro decimis Laicorum.*
8. *Quid intersit an Laicus præscripserit decimas, vel an tantùm ex præsumptione relinquatur in possessione.*
9. *Præsumptiones præsumptionibus eliduntur.*
10. *Ex immemorialitate non oritur præsumptio luris & de jure.*
11. *Immemorialitas etiam tunc est, quando non constat de initio possessionis, licet constet in contrario.*

12. A

12. *An tempus immemoriale debeat* 100. *annos excedere.*
13. *Negativa probatur.*
14. *Qualiter probetur immemorabilis.*
15. *Notabilis limitatio in causa decimarum.*
16. *Prohibitio Concilij Lat. potest consuetudine abrogari.*
17. *Illa prohibitio videtur tantùm procedere in infeudatione perpetuâ.*
18. *Ex consuetudine potest valere, ut unus laicus Jus utile in alium alienet.*
19. *Obligationi præstandi servitia feudalia, & canonem Emphyteuticum potest præscribi.*
20. *Jus utile potest quidem præscribi contra laicos sed non contra Ecclesiam.*
21. *Præscriptio non procedit contra prohibitionem Juris publici.*
22. *Differentia, cur magis res Ecclesiæ immobiles præscribi possint, quàm Jus utile decimandi.*

QUamvis regulariter omnes Decimæ ad Parochum spectare censeantur, sunt tamen de Jure aliqui modi proditi, quibus Jus decimandi ad alios non solùm Ecclesiasticos, sed etiam Laicos transferri potest.

Enim verò *Ecclesiastici* ex privile- 1
gio Papali, per incorporationem Parochiarum Monasteriis aut Canoni-

catibus factam, & per præscriptionem Decimas acquirunt. Item Laici, qui justè habent Decimas, possunt eas alicui alteri Ecclesiæ, quàm suæ Parochiali, maximè verò cuidam Monasterio solius Episcopi accedente consensu donare. *c. cum Apostolica 7. de his qua fiunt à Præl.*

Dico, si Laici *justè* habeant decimas, aliàs enim donatio à laico ne quidem præscriptionis titulum parat *c. dudum ibi Pan. h. t.* quod tamen limitat Rebuf. *tract. de decim. c. 13 n. 92.* ut illi qui receperunt decimas à manibus laicorum, quamdiu vivunt, præscribere nequeant, secùs verò eorum successores in bona fide existentes, saltem tempore immemoriali, neque successori in dignitate nocet mala fides antecessoris, quia non ab ipso, sed à superioris institutione causam habet. *gl. fing. in c. cura in fin. De jure Patron.* quæ glossa generaliter loquitur de præscriptione, nec requirit immemorialem, & planè videtur, quod ipse titulus successionis

nis in beneficio vel dignitate, ex quo Prælatus vel beneficiatus etiam plerumque sub juramento (quod in confirmatione seu investitura præstat) tenetur defendere & conservare jura suæ Ecclesiæ, sicut est justus titulus ad possessionem talium decimarum (suppositò quòd aliunde nesciat vitiosam) *pro suo* adipiscendam vel retinendam, ita etiam ad præscriptionem ordinarii temporis 40. annorum. *tex. not. in L. fin. ff. pro suo.*

2 Circà præscriptionem Decimarum notandum est, quòd allegans præscriptionem contra Parochum debeat vel tempus immemoriale, vel saltem 40. annorum cum titulo probare, propter præsumptionem Juris quæ militat pro Parocho & contra præscribentem *cap. 1. de præscript. in 6. junct. c. 2. De restit. spol.* Idem dicendum circa Parochias Monasteriis pleno Jure incorporatas, ita ut Decimæ earum non nisi 40. annis cum titulo contra Monasterium præscribantur, quia per incorporationem,

Monasterium habetur loco Parochi *Decisio Rotæ apud Tamb. De Iure Abb. tom. 3. dec. 120. n. 11.* Quod si autem præscriptio allegetur contra aliam Ecclesiam, cui tantùm ex privilegio vel etiam præscriptione Decimæ competebant, sufficiet posse probare possessionem bona fide per 40. annos continuatam *d. cap. 1.* imò contra Clericum privatum vel Laicum 10. anni inter præsentes & 20. inter absentes cum titulo, & sine titulo 30. sufficient. quia hic nec præsumptio Juris adest, nec favor Ecclesiæ, ob quem quadragenaria præscriptio requiratur. *Pet. Rebuf. Decim. q. 13. n. 100.*

3 Laici quidem de Jure omnes sunt incapaces Juris decimandi, tanquam spiritualis & propter spirituale Ministerium competentis *c. causam 7. de præscript. & c. quamvis. 17. h. t.* Nihilominus I. ex privilegio Papali Jus decimandi acquirere possunt; quia non excedit vires Papæ, Laicum ad Jus spirituale habilitare & secundùm

quid

quidClericis æquiparare, ſicut defacto ad Jus patronatus, quod ſpirituale eſt, omnes Laici habilitati ſunt.

II. AnteConcilium Lat. quod probabiliter fuit habitum Anno ſalutis 1179. *vid. Henri. Caniſ. de decim. cap.* 13. *n.* 6. Laici poterant Jus decimandi ab Eccleſia in feudum vel Emphyteuſim accipere, quia tunc tantùm acquirebant Jus utile & temporale non directum & ſpirituale, per dictum verò Concilium Lat. id prohibitum eſt. *c.* 1. 16. *q.* 7. Si tamen alicuius Majores ante concilium Decimas in feudum accepiſſent, is etiam num hodie eas rectè retinere poſſet. *arg. cap.* 2. §. *ſanè de Decim. in* 6.

III. per contractum locationis aut uſusfructus etiam Laici decimas habere poſſunt, quia tunc nihil de dominio Iuris ſpiritualis in illos, ſed tantùm commoditas quædam percipiendi Decimas, non tanquam ſibi ſed Parocho debitas transfertur

IV. Quædam decimæ ſunt merè profanæ & *Laicales* quas olim Domini ſu-

is prædiis deinde subditis in usum fructum feudum vel Emphyteusim datis tanquam loco tributi, pensionis annuæ vel Canonis imponebant. *Greg. Tholos. in Syntagm. Iuris lib. 2. c.* 20. quo etiam referri posse videtur illa portio vini, quæ ex quibusdam vineis, præsertim in Austria exigitur, & vulgo Bergrecht appellatur.

V. Laici conversi seu religiosi de certo aliquo ordine, uti sunt Equites Mellitenses, Teutonici &c. decimas quoq; possidere possunt *c.* 3. *De priv. Panorm. in c. quamvis* 17. *h. t.*

Præscriptione autem etiam immemoriali ex communi DD. opinione 4 laicus Decimas, quoad titulum dominij *directi* acquirere non potest, quia est incapax possessionis, sine qua non currit præscriptio. *cap. causam* 7. *De præscript.* Undè non obstat, quod à quibusdam in contrarium opponitur: videl. quidquid per privilegium acquiri potest, id etiam possit per præscriptionem immemorialem, quam constat habere vim privilegij *per tex.*

& gl. in c. super quibusdam De V. S. atqui Ius decimandi Laicus per privilegium acquirere potest, ut dictum, ergò, &c. nam negandum est suppositum, quod ex persona Laici detur immemorialis Decimarum præscriptio; datur quidem immemorialis *detentio*, quæ facti est, sed ex defectu possessionis & propter Iuris resistentiam, non datur immemorialis *præscriptio*.

§ Similiter nec consuetudine generali alicujus Provinciæ introduci potest, ut Laici passim Decimas Iure Dominij directi sibi vindicent, quia imprimis hæc consuetudo foret irrationabilis, ut Laici sine omni causa id habeant, quod Deo & Ministris ejus in recognitionem universalis Dominij & propter spirituales labores debetur; deinde hæc consuetudo damnificaret Ecclesias, eas Decimis privando, meritò proindè invalidata intelligeretur. *in c.* 1. *De consuetud.*. Notanter autem hactenus loquor de Iure *directo* decimandi, nam quid di-

cen-

cendum sit de Iure utili, paulò inferiùs ad finem hujus §. exponam.

Grandis igitur est difficultas quomodo defendendi sint Laici, qui passim in nostris partibus Decimas non ex titulo ususfructus, vel locationis, sed Iure proprietatis sibi vendicant, nec Privilegium Papale, nec infeudationem ante Concilium Lat. factam ostendere possunt, nesciunt tamen quo Iure vel titulo primitùs acceperint?

7 Vereor, ne multi Laici cum animarum suarum periculo Decimas detineant. *jux. t. in cap. prohibemus h. t.* quando experientia constat, à tempore, quo hæreses ordinem & tranquillitatem Ecclesiæ turbârunt, eò temeritatis perventum esse, quod præsertim Patroni & Advocati Ecclesiarum Iura & reditus Ecclesiasticos, quasi liberè in suam utilitatem convertant, Parochos & Beneficiatos etiam non requisito Episcopo, & nescio quibus cum illicitis pactis instituant, destituántque. Quare optandum foret

mag

magnoperè, ut quidam Laici saltem opulentiores ad eligendam viam tutiorem & exonerandam suam, aut suorum Majorum conscientiam induci possent, ut Decimas aliáque Iura Ecclesiis Parochialibus restituerent. verùm quia prædicti excessus non sunt de omnibus Laicis præsumendi, & satis colligitur ex Iure & DD. olim non fuisse infrequens, quod Laicis vel ob merita sua in Ecclesiam, vel ob ipsius Ecclesiæ utilitatem Decimæ vel ex privilegio aut per contractum feudalem concederentur: ideirco in proposita quæstione duos casus principales distinguo.

I. An Laici habeant decimas à tanto tempore, ut nec de *initio* nec de *contrario* constet?

II. An habeant Decimas à tanto tempore, ut de *initio* possessionis quidem non constet, constet autem de *contrario* v.g. ex libris antiquis vel instrumentis authenticis, ex quibus ostenditur, quòd Decimæ ante annos 100. vel 200. adhuc pleno Iure penes Ecclesiam fuerint? Quod

7 Quod attinet ad primum casum, dico, quamvis Laicus Decimas præscribere etiam tempore immemoriali non possit, operatur tamen hæc immemorialitas temporis, quòd ex ea præsumatur, antecessores Laici omni meliori modo sive deinde per privilegium, sive per infeudationem ante Conc. Lat. decimas acquisiviſſe. *arg. c. super quibusdam de V. S. c.* 1. *de præscript. in* 6. *l. hoc Iure. §. ductus aquæ. ff. de aq. quot. & æstiu.* Pulchrè ad propositum loquitur Gilken. de *præscript. p.* 3. *c.* 8. *n.* 23. Quamvis, inquit 100. imò 1000. annorum possessio, ubi de non justo primordio constat, non minuat possessionis causam, cum in persona possessoris & Maiorum & Authorum ipsius tale Ius coalescere non potuerit *c. causam de præscript.* tamen ex quo de hujusmodi exordio non constat, & talis res sit, quæ ex causa Laico acquiri possit, existimandum est, quod cum tot annorum intervallo nemo ipsi quæstionem moverit, justam quoque initij ratio-

nem

nem fuisse. Cùm enim tam varij sint casus, ex quibus instrumenta intercidere, vel interverti possint, videl. incendium, furtum, injuria concerpentium, vetustas ipsa omnia paulatim hauriens, infirmitas memoriæ ignorantium, quo loco quid positum aut conditum sit, fiducia sui Iuris ex tam longa & inconcussa possessione, non debet Ecclesia in tot humanæ conditionis casibus occasionem quẽ ex inopinato casu suo Iure evertendi aucupari, cuius fortè Maiores propter optima in Ecclesiam merita decimas quasi pro recompensatione acquisiverunt. quo etiam referri possunt quæ infra *n.* 18. dicentur.

Sed, inquies, quid interest an Laicus præscripserit Decimas, vel an in illarum possessione & perceptione relinquatur? R. Differentiam jam satis insinuatam esse, si enim ponatur Laicum præscripsisse Decimas, acquisivit Dominium Juris, & id retinebit, tametsi aliquando post completam præscriptionem emergat ti-

tulus

tulus & initium inhabile, quia imposterum non ampliùs possidet Decimas ex primo illo titulo, sed ex Iure præscriptionis. Sin autem Laicus tantùm ex præsumptione boni tituli, quæ oritur ex immemorialitate temporis relinquatur in possessione, privabitur hac possessione, si per Parochum de vitioso initio convictus fuerit. *Felin. in c. accedentes. n. 6. & in c. cum ex officii. n. 13. de præscript.* Non obstat quòd dicit Vasq. *illustr. Controv. p. 1. lib. 2. c. 81. n. 12. & 15.* licet constet de uno titulo inhabili nihilominus ex diuturnitate temporis de alio meliori ex postfacto in perveniente præsumendum esse : quòd ex antiquitate temporis fi- &um non tantùm unum, sed etiam plura, si necessaria sint, præsumatur. Non obstat, inquam, utut nim hoc fortè procedat in aliis caus in quibus Successores saltem medi ti in bona fide existentes per longissimum tempus præscribere possint tametsi Antecessores eorum fuer

in mala fide *Fachin. lib. 8, Controv. c. 27. vers. nec obstant. Cov. de præscript. p. 2. §. 9. n. 7.* secùs tamen est in causa decimarum, in qua nulla præscriptio Laicum juvare potest. Propterea quando Parochus probat vitiosum initium possessionis, habet triplicem fortissimam præsumptionem pro se, unam ex incapacitate Laici, alteram ex jure ipso, quo omnes Decimæ ad Parochum spectare censentur. *c. 2. de restit spol.* tertiam ex demonstratione vitiosi initij in possessione Laici: dum contra Laicus solam & unam præsumptionem ex immemorialitate temporis prætendere potest: notorium est autem, unam præsumptionem aliis præsumptionibus pluribus & fortioribus penitùs elidi ac enervari *arg. c. in nostra 4. De procurat. L. Divus. 7. de in integ. restit.* Neque verum est, quòd quidam con- 10
tendunt, ex immemorialitate temporis oriri præsumptionem Juris & de Jure, contra quam non admittatur probatio in contrarium, Etenim nulla est

la est præsumptio Juris & de Jure, nisi quæ expressè in aliquo Canone vel lege contineatur, quod de immemorialitate temporis non reperimus, eamque ob causam contra probatam immemorialitatẽ admittendas esse probationes de vitioso initio rectè docent Arnold. Rath. *tract. de usucap. c. 5. assert 47. n. 2. & 3.* Henr. Canis. *de Decimis cap. 9. in fin.* Fâchin. *Controv. l. 8. c. 33.*

In *altero casu principali* potissima difficultas dependet ab eo, an dicatur tempus immemoriale, quando quidem non constat quo *initio* cæperit possessio, constat autem de *contrario*, quòd scil. ante tot & tot annos necdum apud antecessores moderni possessoris fuerit. Nam si dici debeat tempus immemoriale, de cuius initio non constat, habebit Laicus præsumptionem Juris ex immemorialitate temporis pro se, & relinquendus erit in possessione Decimarum, usque dum Parochus vitiosum initium ostendat. Licet enim non desint, qui cum Host.

in c.

in c. cum Apostolicæ h. t. n. 10. & Canisio *de decim. cap.* 13, *n.* 9. putent, non sufficere immemorialitatem temporis, contraria tamen sententia æquitati magis convenit, ne quis ob difficultatem probationis facilè suo jure privetur, & ne nihil antiquitati temporis tribuatur. *Butrius & Imola in d. c. cum Apostolica. aliique apud Cov. lib. var. res. c.* 17. *n.* 5. *citati.* Sanè hæc quæstio non tantùm vix apud aliquem authorem in terminis reperitur, sed à plerisq; confunditur, & nulla inter *contrarium & initium* distinctio adhibetur. *ut per gl. in c.* 1. *in v. memoria de præscript. in* 6. *Mascard. de probat. vol.* 2. *Concl.* 1042. imò *in d. c.* 1. expressè dicitur illa immemorialis præscriptio, *cuius contrarii memoria non existit.* Verùm frequentiùs DD. supponunt rectè dici possessionem immemorialem, quamvis constet, quòd aliquando contrarium fuerit, dummodo de initio præsentis possessionis non constet *Cravet. de antiq. temp. p.* 4. *sect. absolutis* 11

in c.

tis differentiis omnium clarissimè *Molina de I. & I. tract. 2. disp. 76. n. 3. facit tex. in c. super quibusdam. De V. S.* ibi *ex antiqua consuetudine à tempore cuius non extat memoria & in L. 3. §. ductus aquâ ff. de aqua quot. cuius origo memoriam excessit, Iure constituti loco habetur.* Doctores autem & textus supra relati optimè cum hac opinione conciliari videntur, per illum modum loquendi quo utitur Menoch. *De arbit. Iud. lib. 2. Cent. 1. casu 43. n. 2.* Nimirum quòd illud dicatur tempus immemoriale *cujus initii memoria non est in contrarium* bonus tex. *in c. 1. de consuet. in 6.*

12 Nova est disputatio, an sit immemorialis possessio, quâ constat infra 100. annos cæpisse, nescitur autem, quando? adeoque an tempus immemoriale necessariò debeat 100. annos excedere?

Affirmant Card. *in c. si diligenti de præscr. pt.* Molina. *d. disp. 76. n. 2.* Cov. *de præscript. p. 2. §. 3. sub. n. 9.* Sed, fi fistorum D.D. argumenta per-

per-

pendo, parum me persuadent. etenim quod ita inferant : centenaria præscriptio requirit titulum. *c. si diligenti in fin. De præscript.* ergò immemorialis, quæ titulum non requirit, debet esse maior centenaria, rectè negari potest consequentia, quia quòd in centenaria requiratur titulus, hoc ipsum in specialem favorem Ecclesiæ Romanæ constitutũ est, ne tam facilè per præscriptionẽ damnificetur. unde quod addit Molina, præscriptionem immemorialem esse magis privilegiatam quam centenariam, verùm est respectu præscribentis, non verò respectu ejus contra quem præscribitur.

Quare in hac difficultate Ego breviter sic dicendum arbitror, quod in illis causis, in quibus præscriptio 40. annorum cum titulo procedit, probababilius sit, ex nullo Iure evinci, quin etiam infrà 100. annos, ad effectum quòd aliquis non teneatur probare titulum, detur immemorialis possessio si testes saltem per 40. an- 13

40. annos testentur de visu proprio, quòd semper viderint rem in hoc statu fuisse, & de cætero non audiverint de initio: quia tunc sufficienter probatum est, quod *origo memoriam excesserit*, prout id solùm ad immemorialem possessionem requiritur *in c.l. 3. §. ductus aquæ. de aqua quotid. & æst.* & quia de Iure Civili in præscriptione 30. vel 40. annorum absolutè non requiritur titulus *l. sicut & l. omnes C. de præscript. 30. annorum* De Iure vero Canonico per quandam correctionem sit introductum, ut in præscriptione 40. annorum requiratur titulus, ubi Ius resistit præscribenti *c. 1. de præscript. in 6.* videtur omninò congruũ, ut hæc correctio strictè accipiatur. *l. præcipimus C. de appell.* & non extendatur ad eum casum, quo aliquis per famã & testes potest probare, possessionem 40. annos longius excessisse, & ita quidem, ut initii memoria non existat, quamvis fortè 100. anni elapsi non sint. atque huius opinionis (ex aliis

ta-

tamen fundamentis) etiam est Cravetta *de antiq. temp. p. 4. sect. absolutis differentiis n. 2. cum gl. in c. cum nobis. v. centum. de præscript. & Alexandro apud eundem Crav. n. 4. citato.*

Interim tamen quia in causa Decimarum non est locus præscriptioni sed solùm ex præsumptione proceditur, ut jam sæpiùs repetitum; ideò libenter concesserim, quando constat possessionem infrà 100 annos cæpisse, nescitur autem quando, posse tales circumstantias & conjecturas concurrere, ex quibus præsumptio temporis antiqui elidatur & pro Parocho (qui aliundè jam præsumptionem, Iuris pro se obtinet) sufficienter probetur, Laicum malam possidendi causam habere, nisi de legitimo titulo docuerit. v. g. si constet possessionem multùm infra 100. annos cæpisse, antecessores Laici fuisse potentes hæreticos; si testes super immemoriali producti varient, &c.

Postremò quæri potest, utrum salem circa Ius utile decimandi, cujus

Laicus non est incapax, consuetudo vel præscriptio aliquid operari valeat?

17 R. Cùm Canon Later. Concilij, quo prohidetur, ne Laici de Decimis infeudentur, non sit Iuris naturalis aut divini, nihil putarem obstare, quin per contrariam consuetudinem abrogari possit. *arg. cap. fin. de consuet. l. de quibus cum. seqq. ff. de LL.* haud enim videtur irrationabile, quòd Laicis Decimæ in feudum concedantur cum authoritate Episcopi, si id ipsorum meritis, vel Ecclesiæ utilitas exposcat.

Deinde illam prohibitionem Concilij plurimi D. D. tantùm accipiunt de infeudatione *perpetua* & in hæredes transitoriâ, unde cùm correctiones Iurium non sint extendendæ. *L. præcipimus in fin. C. de appell.* existimant, etiamnum hodie posse per Episcopum aliumve Ecclesiæ Prælatum Decimas alicui Laico ex justa causa & cum ordinaria Iuris solennitate a

tem

tempus vitæ, vel aliud longum tempus in feudum vel Emphyteusim concedi *gl. & Abb. in c. quamvis. de Decimis. Cov, var. resl. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 5.

¶. II. Quamvis inter D.D. controvertatur in *c. prohibemus. h. t.* utrùm Ius *utile* per unum Laicum acquisitum in alium rectè alienetur: nihilominùs per consuetudinem tales alienationes convalidari posse, quia in Iure dubio optima legum interpres est contsuetudo *l. si de interpretatione* 37. *de LL.* & hinc non dubito, quin multæ Decimæ ante Concil. Later. ab Ecclesiis per modum feudi vel Emphyteusis separatæ sint, quæ etiamnum hodie apud Laicos manent non quidem semper Iure hereditario, sed per diversas venditiones & alienationes bonorum ad eos devolutæ. licet autem Laici, qui hujusmomodi Decimas possident, nulla pro ijs servitia aut fidelitatem secundùm naturam Feudorum Ecclesiæ præstent, non tamen statim

vincitur, quòd tales Decimæ ab initio non fuerint per modum Iuris utilis concessæ, nam præstatio servitiorum & fidelitatis juramentum non est substantiale, sed tantùm naturale contractus feudalis, undè pacto & consequenter etiam præscriptione illa obligatio tolli potest, quemadmodum dari *feudum Francum*, in quo nulla servitia præstantur, & in feudo concesso Ecclesiæ non præstari fidelitatem *c. un. Ecclesiam fidel. non fac.* nemo est, qui ignoret: Item quòd obligationi præstandi annuum canonem præscribi possit per Emphyteutam, dicetur inferiùs *in § 3. sub n 7* Est tamen inter res feudales & Emphyteuticas *profanas* ac inter *decimas* differentia, quòd illæ per præscriptionem possint transire in *allodium*, non verò istæ, quia juris *directi* decimandi incapax est Laicus. Sed ais, quid valebit hoc jus *directum* apud Ecclesiam, si Laicus id non recognoscat, nulla pro eo servitia, fidelitatem, Canonem, aut laudemi-

um

ūm puæſtet? ℟. Sicut in āliis rebus præſcriptio contra Eccleſiam admittitur, ita etiā in his. Et unum ſaltem reperio hujus juris directi effectum, quòd nimirum Eccleſia has Decimas à Laico poſſeſſas contra fiſcum vindicare poſsit, ſi Laicus ſine legitimo herede defunctus bona vacantia reliquerit, aut crimen confiſcatione bonorum dignum commiſerit, in feudis enim & Emphyteuticis domino directo præjudicari non poteſt. Utrum autem S. Pontif. pro plenitudine poteſtatis ſuæ non poſſet Eccleſias adverſus præſcriptionem Laicorum eatenus reſtituere, ut Laici in recognitionem directi dominii tenerentur de Decimis poſſeſis ſingulis annis certam aliquam portionem ſolvere, altioris indaginis eſt, & licet id foret æquitate plenum, ac Eccleſijs utile, vix tamen ſine cooperatione Imperatoris & Principum terrarum poſſet in executionem deduci.

℟. III. Hodie ſtante prohibitione

Concilii Later. posse quidem Laicum contra alium Laicum ante Concilium infeudatum Ius utile præscribere, contra Ecclesiam autem post Concilium non posse, vel enim sciret post Concilium non licere habere Decimas in feudum ab Ecclesia vel ignoraret: Si prius, foret in mala fide *vera*, si posteriùs esset in mala fide *fictâ*, seu in ignorantia Iuris, quæ non prodest acquirere volentibus *L. Iuris. 7. ff de Iuris & fact. ignor. L. numquam. 31. in pr ff. de usucap.*

Sedáis, posse contingere, ut aliquis sciat, non licere dare feudum Decimarum Laicis post Concilium, & tamen sit in bonâ fide, si nimirùm ipse & ejus antecessores tempore immemoriali Decimas ex titulo feudi possederint. R. si in hac immemoriali possessione non constet de initio, omni meliori modo præsumendum esse Laici maiores fortè ex privilegio & dispensatione speciali tale feudum accepisse. sin autem

Paro

Parochus docere posit, quòd tantùm per privatas conventiones inter suos & Laici antecessores (quàmvis Episcopi authoritate accedente, feudum datum sit, quantocunque etiam tempore non erit præscriptum, sicut enim pactis privatorum Juri publico derogari non potest, ita nec contraveniri prohibitioni Legis communis, publicam utilitatem concernentis per privatorum & particularium hominum præscriptionem. Cui non obstat, quòd res temporales Ecclesiæ immobiles vel mobiles pretiosæ alienari prohibitæ nihilominus præscribi possint. *Riccius in praxi aurea p.* 1. *res.* 32. nam diversitatis ratio est ista, quòd res Ecclesiæ temporales non prohibeantur absolutè devenire in manus Laicorum, sed tantùm sine solennitatibus, quas cursus temporis, & bonæ fidei possessio per 40. años continuata supplere videtur. Sed circa decimas absoluta est prohibitio, ne per viam etiá Juris utilis ad laicos quibusvis cum solennitatibus transferantur.

§. III.

Qualiter detur immunitas à solvendis Decimis.

1. *An & qualiter detur immunitas à solvendis decimis.*
2. *Religiosi qualiter de jure exempti â solutione Decimarum.*
3. *Quorundam specialia privilegia extra Corpus juris, & qualitèr intelligenda.*
4. *An habentes Communicationem Privilegiorum, communicent Privilegium immunitatis à solvendis Decimis.*
5. *Consuetudine etiam datur immunitas, sed regularitèr tantùm immemoriali.*
6. *Præscriptioneetiam Laici immunitatem acquirere possunt.*
7. *An præstationibus annuis præscribi possit, & quis sit sensus L. cum notissimi §. fin. C. de præscript. 30. annorum.*
8. *Quanto tempore præscribatur immunitas.*
9. *A restitutione Decimarum ante completam præscriptionem non excusat consumptio bona fide facta, aut triennalis possessio.*
10. *Ecclesia habet dominium in Decimis nondum solutis in sui favorem, non verò in sui præjudicium.*
11. *Pupillus mutuans aut solvens manet dominus pecuniæ, quamdiu dominium sibi est utile.*
12. *Clericus minorennis in beneficialibus habe-*

tur

tur pro Majorennne, ut possit agere in judicio, non verò ut careat auxilio restitutionis in integrum.

13. *Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro alia re spirituali.*
14. *Conciliati oc. statuimus, &c. veniens. de de transact.*
15. *Abbates possunt dare consensum in alienatione rerum ad suas Parochias pertinentium.*
16. *Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas.*
17. *Pauperes an sint immunes à solvendis decimis.*
18. *Quis in causa decimarum sit Judex competens?*

NOn defuerunt ex antiquioribus præsertim DD. existimantes neminem posse à solutione Decimarum eximi, eo moti argumento, quòd Decimæ sint Juris divini & consequenter per humanas inventiones non remissibiles. Verùm hanc sententiam cum communiori ita limitandam censeo, ut exemptio à solvendis Decimis dari non possit, si per eam congrua sustentat o Parochorum adimeretur. etenim Decimas non aliter esse Iuris Divini, quàm in quantum 1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum ad sustentationem Clericorum necessariæ sunt, jam supra in §. 1. explicavimus. Quare si Parochus aliunde sufficientes reditus habeat, vel si ex decimis aliquorum tantùm Parochianorum congruè sustentetur, rectè dicitur, dari exemptionem seu immunitatem a solvendis Decimis per *privilegium Pontificium, consuetudinem, præscriptionem aut contractum.*

2 Per *Privilegium* idq; in Corpore Ju. clausũ Religiosi & alia pia loca diversimodè per Canones à solutione decimarum eximuntur, quos diversos Canones ita in ordinem redigit glossa *in c. ex parte. 10. in v. laborum tuorum h. t.* quod nimirum Monachi in primitiva Ecclesia decimas dederint tanquam Laici. *arg. c. alia causa & c. generaliter 16. q. 1. c. duo. 12. q. 1.* poitea Paschalis 2. statuerit, quod nec Monachi nec Clerici communiter viventes decimas de suis laboribus solverent, *c. decimas 16. q. 1.* tempore verò procedente Hadrianus Papa solis Cistercienſibus, Hospitala-

riis,

riis, Hierosolimitanis seu Templariis concesserit hoc Privilegium, ut de laboribus suis, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt decimas solvere non teneantur, alios verò Monachos tantum in decimis Novalium suis manibus aut sumptibus factorum item & in hortis & nutrimentis animalium suorum exemerit. *d. c. ex parte cum seqq. h.t.* demũ Innoc. 3. in Con. Later. Privilegium Cisterc. & aliorum *in d. c. ex parte*, respectu possessionum post dictum Concilium acquirendorum sustulerit. Novalium autem nomine intelliguntur illæ terræ noviter per Religiosos ad culturam redactæ, de quarum cultura non extat memoria, & ex quibus prius Parochus nullas vel exiguas Decimas percipiebat c. *fin. de Privil. & c. quid per Novale.* 21. *De V. S.*

Cœtetùm extra corpus Juris per speciales Bullas multi Ordines Religiosorum exempti sunt non tantùm in Novalibus, sed etiam quibuscunque terris, quas suis laboribus vel

sumptibus colunt. Sicut de Religiosi Congreg. Cassinensis, Camaldulensi bus, Prædicatoribus, Carthusianis, & pluribus aliis attestatur Barb. *in d. c. ex parte n.* 5. Sed hæc Privilegia non extenduntur ad illas possessiones, quæ non sunt Religiosorum propriæ, sed ab aliis conductæ, *c. dilecti.* 8. *h. t.* Neque ad illas, quas Religiosi aliis vendiderunt, vel elocârunt, concernit enim Privilegium tantùm personas Religiosorum non extraneas *c. licet.* 11. *h. t.* sicut in simili licet fiscus de possessionibus quas tenet, non solvat vectigal, emptores tamen & conductores solvere tenentur. *L. locatio.* 9 §. *ult. ff. de publican.* Cæterùm verò si in Privilegio concedatur exemptio à solvendis decimis *de laboribus*, hic terminus non debet restringi ad sola Novalia, sed universas proprias possessiones propriis laboribus vel sumptibus cultas. *c. ad audientiam* 12. *h. t.*

4 Quæritur autem, an illi Religiosi qui in specie quidem à solutione De-

cim-

cimarum exempti non sunt, attamen generalem communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hocipso etiam quoad Decimas privilegati censeantur. Negativè aliquoties fuisse in Rota decisum refert Barb. *de offici. Par.* 3. *c.* 28. §. 3. *n.* 41. quia immunitas à solvendis decimis est difficilis concessionis propter præjudicium Parochorum. *arg. cap. nuper h. t.* ut proindè locum habeat regula, quod in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus. *c. qui ad agendum de Procur. in 6.* & quia *d. cap. nuper.* in quo similia Privilegia abrogantur, est constitutio Conciliaris, cui non derogatur sine expressâ mentione Nihilominus tamen notabiles limitationes ex aliis Rotæ decisionibus ponit Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franchis. de controv. inter Ep. & Reg. p* 2. *q.* 72. *n.* 10. *& seqq.* Quod nimirum in generali communicatione Privilegiorum etiam veniat exemptio

emptio à Decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia. Item si in privilegio communicato, jam sit inserta clausula derogatoria dicti cap. *nuper*, quia privilegium communicans communicat privilegium cum suis qualitatibus. Præsertim si privilegium communicationis habeat annexam Clausulam : *quorum tenores &c.* quæ operatur ut privilegia communicata censeantur in litteris communicationis de verbo ad verbum inserta. Accedit quod privilegia exemptionum à Decimis dentur Religiosis intuitu laborum, quos sustinent in Ecclesia prædicando, & Sacramenta ministrando, ut dixit Rota *decis.* 795. *n.* 27. ergò æquitas suadere videtur, ut ejusmodi privilegia ad Religiosos communicantes, qui similes labores subeunt, pariter extendantur.

Pa

Per *consuetudinem* quoque dari immunitatem à solvendis Decimis verior est sententia, ita enim videmus Decimas *personales*, item Decimas minutas passim abrogatas esse, sicut attestantur D.D. qui in diversis Europæ partibus de Decimis scripsêre. Sed hoc cum generali illâ limitatione accipiendum est, si nimirum Parocho per talem consuetudinem congrua sustentatio non subtrahatur, Præterea rectè advertit Paulus Laym. *in Theolog. mor. l. 4. tr. 7. c. 6. n. 11.* quamvis regulariter ad introducendam consuetudinem adversus legem Ecclesiasticam 40. anni sufficiant; quia tamen lex Decimarum obligat sub gravi peccato, non posse ordinariè immunitatem per consuetudinem nisi tempore immemoriali introduci, ex quo scilicet successores bonâ fide credant suis majoribus per privilegium aut alium titulum obligationem Decimarum remissam esse. nam aliàs locum habebit text *in c. cum haberet*

de

de eo qui duxit, &c. quòd *diuturnita* cen
temporis peccatum non minuat, sed au præ
gmentet & in c. fin. de consuet quòd ann
tantò sint graviora crimina, quantò di nam
utiùs infelicem animam tenuerunt. quæ

6 Quod de consuetudine magis de scrip
præscriptione sentiendum est: cùm verò
enim præscriptio in eo differat à con dicit
suetudine, quòd consuetudo induca nem
tur ab aliqua communitate, præ præ
scriptio verò à singularibus perso dio c
nis: Sanè minùs præjudicabit Paro que
cho si unus vel alter per præscripti intel
onem à solutione Decimarum se ex nem
imat, quàm si tota communitas script
Imo quamvis Laici Jus decima scrib
di tanquam spirituale & propter annu
spirituale ministerium compe spect
tens acquirere non possint pe rum,
supra picta, immunitatem tamen gatio
eos præscribere posse magis inte res si
DD. convenit, quia per hanc nullum script
Jus spirituale sed tantùm potestatem tus in
fructus suos integros percipiendi con fin. C
sequntur. *Cov. var. resl.* 1. *c.* 17. *n.* 10 gulis
illæ sc

7 Neque verum est, quod quidam do

cen

cent ex *L. cùm notißimi §. fin. C. de præſcript. 30. ann.* obligationibus annuis abſolutè præſcribi non poſſe. nam contrarium evincitur ex *cap. de quarta. &c. ad audientiam. de præſcript. l. eos 22. C. de uſur.* quòd verò Imperator *in d. l. cùm notißimi* dicit in iis obligationibus quæ dationem per ſingulos annos continent, præſcriptionis tempus non ab exordio obligationis, ſed ab initio cujusque anni computandum eſſe, &c. ita intelligi debet, quòd circa obligationem annuam duæ quaſi diverſæ præſcriptiones concurrant, una quâ præſcribitur ipſi principali & generali annuæ obligationi, quæ ſe habet reſpectu omniũ præſtationum annuarum, & altera, quâ præſcribitur obligationi ſpeciali & ſecundariæ dandi res ſingulas annis ſingulis: in illa præſcriptio computatur à die, quâ primitus in ſolutione ceſſatum eſt. *l. pen. in fin. C de præſcript. 30. ann.* in hac à ſingulis annis vel menſibus in quib² res illæ ſolvi debuiſſent. *d. l. cùm notißimi*

§. *fin.*

§. *fin. in pr.* Unde qui v.g. per 50. annos Decimas bona fide non solvit, non tenebitur quidem illas Decimas restituere quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni elapsi sunt, neque illas, quas ultimo decennio percepit quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt, illas verò, quas intermediis 30. annis percepit, restituere omninò tenebitur, cùm respectu illarum (numerando præscriptionē à singulis annis quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum, necdum completa sit præscriptio. Quam eandem interpretationem quondam docuit Reverendissimus Dominus Gregorius Kimpfler nunc Abbas Schyrensis, Professor & Antecessor meus de hac Universitate nostra olim sub præclarissimâ doctrinâ, nunc sub gratiis meritissimus. Videtur quidem in contrarium facere, quod Imp *in d. l. cùm notissimi. §. fin.* exemplum subjiciat de Emphyteuta (cu

ius etiam est obligatio annua) quòd nullo temporis curriculo rem Emphyteuticam tanquam propriam præscribere possit. Sed, nisi fallor, ex illo exemplo nostra sententia non parum confirmatur ; nam Imperator vult dicere, quamvis Emphyteuta possit præscribere obligationi dandi annuum Canonem (aliàs enim frustra præmisisset qualiter præscriptiones circà obligationes annuas computari debeant) non tamen propterea possit prætendere quòd res quoad dominium *directum* ad se pertineat, ex defectu scil. possessionis, quam non habuit ut dominus *directus*, sed tantùm ut Emphyteuta. quòd si interverteretur Domino possessio v. g. per alienationem in eum, qui rem tanquam liberam & propriam possideret, tunc etiam usucapio quoad dominium directum procederet, ut advertit Gloss. *in d. §. fin. v. conductori. & in l. 2. v. usurpet. C. eod. tit.*

Sed Q. 1. quanto tempore immunitas à solvendis Decimis præscribatur? 8

Distin-

9 Distinguitur, an præscriptio prætendatur contra Ecclesiam Parochialem, vel contrà aliam Ecclesiam aut Monasterium, vel omnino contrà privatum Clericum aut Laicum, in primo casu requiritur cum titulo 40. annorum spatium, & sine titulo tempus immemoriale *c.* 1. *de præscript. in 6.* in secundo casu 40. anni etiam sine titulo sufficiunt: & tertio, 10. cum titulo & sine titulo 30. juxta vulgata præscriptionis Jura. ante omnia tamen in hac immunitatis, sicut in quavis alia præscriptione *bona fides* requiritur *c. fin. de præscript.* ut scil. immunitatem prætẽdens sine contumacia aut fraude justo errore ductus Decimas hactenus solvere recusarit puta quia agrum tanquam immunem à Decimis emit, venditore privilegium vel compositionem cum Parocho factam allegante, vel quia putativum privilegium habet aut sui antecessores nunquam ab hominum memoriâ Decimas persolverint. *text. in l. fin. ff. pro suo.*

Qua

Quæritur 2. an is, qui bonâ fide 6
per 10. vel 20. annos Decimas Ecclesiæ non solvit, si ex postfacto ad solutionem Decimarum condemnetur, teneatur non tantùm Decimas futuri, sed etiam præteriti temporis persolvere? videtur quidem negativè respondendum, cùm passim inter DD. conveniat, bonæ fidei possessorem, à quo res possessa per sententiam evincitur, non teneri ad restitutionem fructuum consumptorum, §. *si quis à non domino. 35. Inst. De rer. divis.* neque extantium, quos bona fide per triennium possedit, & consequenter usucepit. *Barth in l. 4. §. fructus ff. de usucap. Rayger. in thesauro lur. v. fructus. n. 57.* Quòd autem præscriptio triennalis & quælibet minor decennio etiam contrà Ecclesiam procedat, communis est DD. *in auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.*

Verùm hac ratione dubitandi non obstante, puto etiam Decimas præteriti temporis restituendas esse, nisi respectu singulorum annorum quadragena-

genaria præscriptio intervenerit. etenim alia est ratio fructuum ex re aliena perceptorum & alia Decimarum, in fructibus præscribitur dominium verum & *irrevocabile*, cum prius fuerint reverà alieni & tantùm in *quasi* seu *revocabili* dominio possessoris, ad eũ principaliter effectum, ut exclusa actione *in factũ* possessor eos jure cõ sumere potuerit *Harp. in d. § si quis non domino. n. 56. & seqq.* In decimis autem præscribitur obligationi, & actioni tanquam in quibus Ecclesia necdum *in sui præjudicium* dominium habuerit, sed actionem seu conditionem ex. Canone *gl. in c. tuarum bis. h. t.* Constat verò, obligationes & actiones regulariter esse perpetuas & durare usque ad 30. & contra Ecclesias usque ad 40. annos *Princ. Inst de perpet. & temp. act junct. L. omnes & L. sicut. C. de præscript.* 30. *annorum* neque in decimis recte applicatur illa regula: quòd possessor bonæ fidei lucretur fructus, cùm decimæ respectu Parochi non se habe-

ãnt per modum accessorij & fructuum, sed ipsæ per se principalitet sint in obligatione. Sicut si heres frumentum defuncto mutuatum ignarus mutui tanquam proprium consumpserit, non ideò minus ex mutuo tenebitur.

Sed nunquid verius est, quod docet Pan. *in c. commissum & in c. tua nobis h.t. n.* 12. Decimas ante solutionẽ esse in dominio Ecclesiæ propter tex. *in c. moderamine.* 16. *q.* 1. ubi *vindicatio* pro Decimis conceditur, quæ non nisi domino competere solet. *L. in rem. ff. de rei vindi.* & arg. *l. ut inter. C. de SS. Eccles.* inqua communiter notânt Interpretes, quòd dominium in Ecclesiam etiam sine traditione transferatur. ℟. hanc sententiam Panorm. procedere in quantum est Ecclesiæ favorabilis, ut scil. possit Decimas à tertio possessore vindicare *c. cum non sit. & c. pastoralis. h. t.* ut bonis Parochiani subhastatis in Decimis extantibus ante omnes privilegiatos creditores ponatur. *l. si ventri.*

§. *in*

§. *in bonis. ff. de Privil. Cred.* Non autem si exinde aliquod præjudicium Ecclesiæ inferatur, si propterea breviori præscriptione damnificetur, ne qnòd in favorem Ecclesiæ est introductum, in eius odium retorqueatur *c. quòd ab gratiam. De R. I. in 6.*

11 Quemadmodum in simili pupillus (à quo bonum est argumentum ad Ecclesiam *c.* 1, *de in integ. rest.*) si absque tutoris authorirate mutuam det pecuniam, vel solvat debitori, manet quidem adhuc Dominus pecuniæ mutuatæ vel solutæ, & si exter, eam vindicare potest *l. non omnis.* 19 §. 1. *ff. de reb. cred. l. quod si* 14 §. *fin. ff. de solut.* Sin autem pecunia consumpta fuerit aut periêrit penes accipientes, pupillus in sui præjudicium non censebitur habuisse dominium, sed mutuum vel solutio convalescet, & condictionem in mutuo, vel liberationem in soluto operabitur; ob eandem scil. causam, *ne quod in favorem, &c.* Pariter Clericus minorennis in beneficialibus causis habetur pro

pro majorenne, unde & in iis procuratorem constituere vel ipsemet agere poterit. *c. fin. De Iudic. in 6.* Sed & hoc dum de favore eius agitur, quid ergo si inconsultâ facilitate ductus suum beneficium resignaverit, anne exemplo minorennium læsorum in integrum restituetur? Affirmativa magis recepta est, ex eodem iterum fundamento, *ne quod in favorem &c. Cov. var. res. lib. 1. c. 5. n. 3. Zoes. ad tit. Decret. de in integr. restit. n. 4.*

14 Quæritur 3. qualiter immunitas à solvendis Decimis per contractum acquiri possit? quòd per gratuitam & liberalem compositionem, item etiam pro re aut Jure aliquo spirituali (v. g. si Religiosi obligati ad solvendas decimas pro immunitate se obligent ad faciendas Conciones in Ecclesiâ Parochiali) immunitas rectè acquiratur, satis colligitur ex *c. statuimus. & c. veniens. de transact.* ita tamen, ut nisi Superioris Authoritas interveniat, talis contractus minimè obliget Parochum successorem,

d.c. veniens. quamvis enim succeſſor hereditarius factum ſui defuncti præ ſtare debeat, ex cuius Perſonâ lucrum ſentit, & cùm in eum omnes regula riter actiones paſſivæ & activæ tran ſeant. *l. cum à matre. C. de rei vind. l. ex qua perſona* 149. *& l. qui in l. 7. ff. D. R. I.* Succeſſor tamen in di gnitate vel officio, cùm omne ſuum Jus non à defuncto, ſed ab electione inſtitutione vel conceſſione ſuperio ris habeat, regulariter non tenet ſtare pacto ſui anteceſſoris, ſi illu pactum non ſit jam abſolutum & ex peditum (ut venditio, donatio & circa res ſine ſolennitate alienabile ſed habeat cauſam continuam & ea am ſucceſſorem obligare deberet aliquid de præſenti faciendum v patiendum, ut in remiſſione decim rum in futurum, in locatione rei cleſiaſticæ & ſimilibus, niſi tale p ctum nomine Eccleſiæ ſcil. cum co ſenſu ſuperioris (vel in maioribu Eccleſiis cum conſenſu Capituli) f ctum ſit. *Cov. var. reſ. lib. 2. c. 15. n. Gutier. can. qq. lib. 1. c. 36.* Qu

Quæritur 4. quis in proposito veniat nomine superioris? dissonant inter se cc. in priori quæstione citata, in altero Episcopi, in altero Summi Pontificis authoritas desideratur. Libenter dicerem, Monachos, de quibus *in, d. c. veniens.* agitur, fuisse exemptos, vel sub immediatâ Jurisdictione Papæ, sed quia non habeo huius assertionis speciale fundamentum, ideo satis placet, quod pro concordatione dicit Pan. *in d. c. statuimus.* nimirum distinguendum esse an liberatio à decimis per contractum quæratur in perpetuum vel tantùm ad tempus: in primo casu, quia relaxatur Jus commune & contractus induit speciem privilegii, requiretur Consensus seu Authoritas Papalis, in altero autem casu Episcopalis sufficiet. Item solam Episcopi Authoritatem sufficere censet Pan. *d. l.* si contractus fiat super Jure decimandi dubio & controverso. Licet autem *per d. c. veniens.* in transactione (quæ tantùm fieri potest su-

per re dubia. *l.* 1. *de transact.*) requiratur Consensus Papalis. nihilominus illum tex. de transactione sine causæ cognitione & evidenti utilitate Ecclesiæ Parochialis initâ intelligi gl. *in d. c. statuimus.* Barb. *in eod. c. veniens. n.* 3. Porrò quod de Episcopo dicitur, de Abbatibus quoque sentiendum est circà Parochias suis monasteriis pleno Iure incorporatas, quia ex communi DD. sententia per talem incorporationem Iurisdictionem quasi Episcopalem acquirunt, ut inter alia etiam authoritatem in alienatione rerum ad huiusmodi Parochias pertinentium interponere valeant. *Pan. in d. c. statuimus. de transact. n.* 4. *Innoc. in eod. c. statuimus in fine.* gl. *in Clem.* 1. *in v. privii de reb. Eccles. non alienand.* Riquier *de Iurisd. in exempt. p.* 1. *q.* 9. *n.* & *p.* 4. *q.* 20.

16 Quæritur 5. an immunitas à solvendis Decimis pro pecunia vel alia re temporali acquiri possit? Negativæ favet tex. *in c. fin. de rerum per-*

mut

mutat. eámque multi, DD. sequuntur cum Hen: Canisio *de Decim. cap.* 17. *n.* 18. Sed videtur mihi affirmativa satis probabiliter defendi posse hoc saltem sensu, quòd per contractum v. g. emptionis, qui initur super immunitate, censeantur Decimæ, quatenus considerantur ut fructus imposterùm nascituri & decimationi obnoxii in proprio agro emi seu acquiri. Etenim valere emptionem fructuum, qui nascituri sunt, tex. est *in l. nec emptio.* 8. *De contrah. empt.* Item quòd rem, quæ mea est, possim emere sub conditione, & in illum eventum, ubi mea esse desiêrit, apertè probatur *ex l. existimo.* 61. *ff. jam dicto tit.* undè rectè advertit Barb. *in d. c. fin. n.* 2. *Moneta de decimis c.* 5. *n.* 130. quod in illo *c. fin.* pecunia data sit pro *decimationibus* id est Iure decimandi in alienis fundis, non verò pro immunitate & fructibus in proprio agro percipiendis. Dices: saltem Parochus accipiendo pecuniam pro immunitate vendet Ius deci-

mandi, quod in agro habuit, vendere autem jus decimandi, quod ſpirituale eſt, ſimonia cenſetur. *d.c. fin.* ℟. non eſſe propriè venditionem Iuris decimandi ſed fructuum naſciturorum, ut dictum. Si enim eſſet propria venditio Iuris decimandi, deberet id emptori acquiri, emptor autem non percipit fructus tanquam decimator, ſed tanquam Dominus & ut jam ab onere decimarum liberos, ſicut ſuperius etiam de præſcribente immunitatem traditum.

117 Quær. 6. utrùm pauperes, qui non plùs colligunt ex fructibus, nisi quantum ſibi & ſuæ familiæ ſufficit ad alimentationem, ſint immunes ſolvendis Decimis? Pro affirmativâ, quam tenuit Melendus antiquus Canoniſta *apud Innoc. in c. licet. de cenſ.* facit, quòd non videatur Eccleſia velle obligare pauperes ad dãdas Decimas, quæ jubet, ut Clerici pauperibus liberaliter ſubveniant. *c. aurum 12. q. 1.* Econtrà negativam communiter amplectuntur DD. *cum*

fin. in c. quia tua. 12. *q.* 1. *Sylv. Decimæ. n.* 13. *Rebuf. de Decimis. q.* 5. *n.* 14. eò quòd Decimæ ſolvendæ ſint inſtar debiti. *c. Parochianos. h. t.* in debito autem non habeatur paupertatis reſpectus, niſi poſtquàm debitor *bonis ceßit*, & propterea quòd ad ſolvendas Decimas non tantùm perſonæ, ſed agri & fundi ipſi obligati cenſeantur. *c. de terris. h. t.* debeanturque Decimæ Deo in recognitionem univerſalis Dominii, quod non tantùm divites ſed & pauperes oportet recognoſcere. Utramque ſententiam ita conciliandam eſſe puto, quòd pauperes à ſolvendis Decimis ipſo Iure quidem liberati non ſint, debeat tamen ipſis remiſſio per Parochos fieri. *Pan. in c. cum homines. n.* 5. *h. t. Suar. de Relig. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 16. *ſub n.* 16.

Quær. 7. pro coronide huius ma- 18
teriæ decimarum, quis in cauſa decimarum ſit Iudex competens! R. Cauſam decimarum (ſi *petitorio* agatur) accenſeri ſpiritualibus *arg. d. c. fin. de rerum permut. c. Parochianos. & c.*

tua. 25. h. t. Ideoque regulariter ad Iudicium Ecclesiasticum pertinere *d. c. tua. c. 2. de Iudic.* dico *si petitorio agatur*, nam si solùm agatur *possessorio judicio*, &, v. g. Parochus vel alius Ecclesiasticus conveniat Laicum *interdicto adipiscendæ, retinendæ, vel recuperandæ possessionis*, quæratur, an decimæ sine fraude & integræ solutæ sint &c. plurimorum est opinio hanc cognitionem esse *mixti fori* & etiam ad Laicum Iudicem pertinere. *arg. c. 2. de Iurejur. in 6. junct. c. ult. de foro Comp. in 6.* ubi executio Iuramenti (quod utique spirituale est) ad utrumque Iudicem pertinet, diversa enim est possessio à proprietate. *L. naturaliter 12. §. 1. ff. de acquir. poss. Henr. Canis. de decim. c. 18. n. 13.* Idem est, si ex contractu actio intentetur, quæ non tam Ius decimandi quam ipsos fructus concernat, v. g, pro mercede locationis vel pretio emptionis solvendo &c. Si tamen contra Ecclesiam vel Ecclesiasticum agatur *possessorio*,

vel alia actione, tantum Ecclesiasticus Iudex erit. *c. si diligenti. de foro comp.*

Quid, si Laicus contra Laicum agat petitorio Iudicio super decimis ante Concil. Lat. vel per Privilegium acquisitis, & actor decimas ab altero possessas titulo hereditatis, legati, empti &c. ad se pertinere contendat? R. non videri improbabile, tales decimas præsertim consuetudine accedente censeri inter alias res Patrimoniales Laici, quæ Iudicio sæculari subiacent, dummodo non simul involvatur quæstio tangens radicem Iuris decimandi ex SS. Canonibus dependentem, veluti an Privilegium infeudatio, vel alienatio Iure Canonico subsititerit, articulus à Iudice Ecclesiastico decidendus foret.

arg. c. tuam. de Ord. cognit.

CAPUT II.

DE PRIMITIIS ET OBLATIONIBVS.

1. *Differentia inter decimas, primitias & oblationes.*
2. *Quid debeatur nomine primitiarum.*
3. *Primitiæ possunt abrogari per Consuetudinem.*
4. *Ex communi sententia non est præceptum faciendi oblationes.*
5. *In actibus meræ voluntatis non inducitur consuetudo.*
6. *Quo fundamento procedat consuetudo circa oblationes.*
7. *Etiam stante consuetudine non peccat, qui aliquando omittit facere oblationes.*
8. *Parochianis non facientibus oblationes non debet Parochus negare Sacramenta.*
9. *Regulariter oblationes intra fines Parochiæ factæ pertinent ad Parochum.*
10. *Oblationes factæ in Ecclesiis Regularium pertinent ad Regulares, de funeralibus tamen debetur Parocho portio Canonica.*

1 INter Decimas, Primitias, & Oblationes hanc constat esse differentiam, quòd *Decimæ* singulis annis in recognitionem universalis Domini

de omnibus fructibus, *Primitiæ* tantùm semel de primis fructibus Novalium agrorum, & animalium in signum gratitudinis erga Deum, *Oblationes* sine determinatitione temporis, qualitatis aut quantitatis ex causa devotionis persolvantur.

Discussâ materiâ Decimarum circa Primitias & Oblationes

Quær. I. An nomine Primitiarum omnes primi fructus debeantur? 2

℟. Primitiarum nomine in fructibus agrorum tantùm portionem aliquam quæ quadragesimam partem ipsorum fructuum non excedat, in animalibus vero non ipsum primogenitum in natura, sed de ejus æstimatione quadragesimam vel sexagesimam partem, juxta locorum consuetudinem persolvendam esse. *t. & gl. in c.* 1. *De Decimis.*

Quær. II. An Primitiæ per contrariam consuetudinem abrogari possint? 3

℟. affirmativè, ita enim vix alicubi videmus Primitias exsolvi, & quamvis Primitiæ debeantur ex

præcepto, tamen hoc præceptum in nova lege non esse Juris Divini probabiliûs existimo, quemadmodum supra de præcepto solvendi Decimas dictum est. Neque obstat, quòd primitiæ debeantur ex gratitudine ergà Deum, gratitudo autem consuetudine tolli non possit, nam respondetur, quòd quidem gratitudo in genere (id est, ut aliquis non teneatur esse gratus ergà Deum) utique nulla ratione tolli possit, in specie autem, ut ex causâ gratitudinis præcisè hoc vel illud solvi debeat, non apparet, cur tolli nequeat, possunt enim homines per preces aut alia pietatis opera suam ergà Deum gratitudinem demonstrare.

4 Quær. III. An sit præceptum aliquod, ex quo Parochiani cogantur certis temporibus Oblationes facere? Difficultatem movet. *cap. omnis Christianus* 69. *De Consec. dist.* 1. ubi hæc verba leguntur: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid DEO offerre & ducere ad mem-*

memoriam, quod Deus per Moysem dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis SS. Patrum liquidò apparet, ut omnes Christiani offerre aliquid DEO ex usu SS. Patrum debent, &c. Verum communis est sententia, nullum esse præceptum de Oblationibus faciendis, imò de ratione Oblationis esse ut sit spontanea juxta illud *Exodi, ab omni homine, qui offert ultroneus accipietis eas*, text. tum verò *in d. c. omnis Christianus*, cum Glos. DD. intelligunt procedere in casu, quo Parochus congruam sustentationem ex Decimis non haberet, *Pan. ad rub. de Parochis. n. 3. Gutierez. Canon. qq. lib. 2. q. 21. n. 139. & seq.* Ego quid in hac quæstione sentiam, ex resolutione sequentis quæstionis apparebit.

Quær. IV. Utrum per consuetudinem obligari possint Parochiani ad præstandas certas Oblationes? In affirmativam passim conveniunt DD. *arg. c. ad Apostolicam 42. de Simonia.* Sed videtur non leviter obstare ge-

neralis doctrina, quam tradunt Interpp. *in c. Abbate. de V. S. & in l. 2. ff. de via pub.* quòd in actibus meræ voluntatis non introducatur consuetudo neque præscriptio. Respondet quidem Guttierez *Can. qq. lib. 2. c. 21. n. 144.* hanc doctrinam fallere, quandò de favore Ecclesiæ agitur; quæ tamen responsio non videtur in Jure aliquod solidum fundamentum habere, neque probatur in *c. veniens 10. de testib.* quòd allegat Gutier. in quo licet dicatur, quòd Parochiani *consueverint* vinum beneficiato dare, non tamen ibi exprimitur, qualiter hæc consuetudo introducta sit, ex pacto, vel propter necessariam sustentationem Parochi, &c.

6 Quare puto hanc difficultatem aliter solvendam esse, & ut liberè dicam, quod sentio, ad summum concedo Oblationes quoad *quantitatem & qualitatem* esse *meræ facultatis*, in genere autem & quoad se existimo habere aliquod principium obligationis ex Jure divino *ex c. 23. Exodi*

acce-

acceptum in nova lege per usum SS. Patrum, ut ex *d. c. omnis Christianus. dist. de consec.* satis apparet. enim verò mihi planè persuadeo authoritate tex: nimis clari *in d. c omnis Christianus.* olim in Ecclesia fuisse generalem usum per illum Canonem confirmatum, ut fideles certis saltem anni festivitatibus inter Missarum solennia Oblationes facerent: quare si in aliquo loco fideles id ipsum etiam hodie observent, videntur vel illum Canonem ab antiquo retinuisse, vel de novo in usum deduxisse. Quòd verò gl. citatum Canonem interpretetur procedere suppositâ necessitate Parochi; hanc interpretationem verbis textus generaliter loquentis non correspondere, & propterea *misericordem* esse notat aliqua glossella marginalis superaddita. haud quidem diffiteor quin Parochiani compelli possint ad faciendas oblationes Parocho, si aliundè congruam sustentationem non habeat, id tamen non probatur nec dicitur in illo tex *c.*

omnis

omnis Christianus. sed potius evincitur ex principio Iuris Divini, & Naturalis ut is, qui servit Altari, vivat de Altari, &c.

Dices, si saltem quoad *quantitatem & qualitatem* oblationes sunt meræ voluntatis, quomodo ergo per consuetudinem introduci potest, ut Parochiani teneantur hoc & non aliud offerre, v. g. certam quantitatem ceræ, certum numerum ovorum, &c. R. si tales Oblationes fint valdè ab antiquo fieri solitæ & Parochus cæteroquin nullas percipiat decimas *minutas*, planè credibile est, quòd eiusmodi oblationes nec quoad *quantitatem & qualitatem* sint *meræ voluntatis*, sed sint surrogatæ in locum Decimarum *minutarum* arg. eorum quæ infrà *de Sepulturis. q.* 12. *vers.* 4. *cum Decimæ.* & oblationes successisse in locum *primitiarum* usu abrogatarum censet Rebuf. *de decim. q.* 1. *n.* 25. dicentur. Quòd si autem Parochus simul percipiat Decimas minutas, vel non percipiat quidem,

præ-

prædictæ tamen Oblationes in certa
ſpecie primùm ante decennium v. g.
inceperint fieri, cenſeo puncto Iuris
eſſe conformius, in iis non aliter in-
duci præſcriptionem vel conſuetudi-
nem, quam ſi Parochianis aliquando
abillis Oblationibus ceſſare volenti-
bus Parochus bonâ fide (ductus ſen-
tentiâ Gutierez ſupra *n.* 5. relatâ,)
contradixerit, & ita Parochianos huic
contradictioni acquieſcentes in pu-
tativâ obligatione & ſe in poſſeſſione
huius Iuris perpetuò percipiendi cer-
tas oblationes conſtituerit. per ea,
quæ docet gl. *in l. quæ luminibus. ff.*
de ſervit. urb. prædior. Arnold Rath. in
tract. de uſucap. c. 4. *aſſ.* 5. Cæte- 7
rùm circà hanc quæſtionem adhuc
notari poteſt, quod dicit Sylv. *v. De-*
cimæ n. 4. Oblationes ratione conſue-
tudinis eſſe in præcepto, quomodo
eſt ipſa conſuetudo, ſcil. quod offerat
maior pars populi, non autem ſemper
ſinguli de populo, ſed ſolùm pro ma-
jori parte ſolennitatum, unde non e-
rit alicui mortale ſi oblationem non-
nunquam intermittat. Quær.

Quær. 5. an si parochiani per
consuetudinem obligati ad faciendas
oblationes, aliquando recusent eas
facere, liceat Parocho propriâ autho-
ritate sine Iudicio Episcopi à Divi-
nis Officiis & Sacramentorum admi-
8 nistratione cessare? R. negativè,
tùm quòd sæpiùs eiusmodi consuetu-
dines requirant causæ cognitionem,
an legitimè introductæ sint, & Paro-
chus non debeat esse Iudex in pro-
pria causâ; tùm etiam & vel maxi-
mè quòd talis cessatio à Divinis vi-
deretur habere aliquam speciem si-
moniæ, quasi verò Parochus tantùm
vellet Divina propter pecuniam &
oblationes administrare. *arg. c. cum*
in Ecclesiæ 6. De Simon. Gutier. d.c.
Gutier. d. c. 21. n. 152.

9 Quær. 6. cuius sint Oblationes
quæ non fiunt immediatè ipsi Paro-
cho, sed vel alteri Sacerdoti cele-
branti, vel certæ alicui imagini aut
in speciali quadam Capella? R. ni
offerentes aliud intenderint, aut con
suetudine & præscriptione aliud in
trodu

troductum sit, omnes oblationes intrà fines alicuius Parochiæ factæ censebuntur esse de Iure Parochiali & pertinere ad Parochum. *c. pastoralis & c. quoniam. De Decim. Pan. in rub. de Paroch. n* 4 *Zerola in praxi Ep. p.* 1. *v. Parochia. v. ad quintum. & communiter alii.* Notanter autem dixi, nisi offerentes aliud intenderint, nam si v.g. Capella vel Ecclesia, in qua fiunt eiusmodi Oblationes, indigeat ædificatione, reparatione, aut (propter modicam eius dotem) necessaria conservatione, in dubio Oblationes in ea potiûs intuitu ipsius, quàm Parochi factæ censebuntur, & consequenter non Parocho sed Ecclesiæ seu Capellæ acquirentur. *Riccius in praxi aur p.* 4. *Resol.* 297. *Rebuf. de decim. q.* 1, *n.* 30. 10

Quær. VII. An etiam Oblationes quæ fiunt in Ecclesiis Regularium in quibus ipsi Regulares non habent Jura Parochialia, pertineant ad Parochum? affirmat Azor. *Instit. Mor. p.* 1. *lib.* 7. *c.* 27. *q.* 13. nisi

Regu-

Regulares ſpeciali Privilegio aut præſcriptione contra Parochum muniti ſint. Verùm quia hæc ſententia nullo juris fundamento ſubnixa, eſt contrarium dicendum, cum Paſqual. *in addit ad Lauret. de Franch. p. 2. q. 69. text. in c. 1. de ſtat. Mon. & c. nimis iniqua. De Exceſſ. Præl.* ubi diſertis verbis ſtatuitur, quòd nec Ordinarij locorum nec Parochi poſſint Regularibus circa oblationes apud eos factas præjudicare. Quò faciunt etiam declarationes Card. quas refert Paſqual. *d. t. n. 3.* & Petrus de Murga *in ſuis qq. Paſtor. p. 3. q. 8. n. 7. & 8.* quod nimirùm Regulares poſſint in Miſſa recipere Oblationes fidelium, dummodò à perambulationibus per Eccleſiam ac ſimilibus Elemoſynarum extorſionibus abſtineant. Quid autem dicendum ſit de illis Oblationibus, quæ fiunt in Eccleſiis Regulariũ occaſione ſepulturæ, quàm apud eos Parochianus aliquis eligit, inferius in cap. ſeq. dicetur, nimirùm quòd de Iure ex his Oblationi-

tionibus debeatur Parocho *portio Canonica*, ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, etiam de funere sentiat utilitatem.

CAPUT III.

DE SEPVLTVRIS.

1. *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesiâ.*
2. *Cur cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3. *Ius funerandi computatur inter iura Parochialia.*
4. *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5. *Vxor sepeliri debet cum marito.*
6. *Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7. *Ad electionem sepulturæ qualis solennitas vel probatio requiratur.*
8. *Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.*
9. *Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10. *Prælatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.*
11. *Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*

12. No-

12. *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licet ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum.*
13. *Cùm Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur Parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*
14. *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*
15. *Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepulturâ.*
16. *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*
17. *Qui non gaudeant sepulturâ Ecclesiasticâ*
18. *Gravis metus quando excuset â transgressione legis humanæ.*
19. *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepulturâ, nisi excommunicatio sit occulta.*
20. *Se ipsos occidentes qualiter priventur.*
21. *Duellantes quando privandi sepulturâ.*
22. *Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practicè admittendum.*
23. *Etiam suppositâ sententiâ illa excusante succumbens, in tali duello privatur sepulturâ.*
24. *Multa fiunt sine culpa vera, quæ non fiunt sine culpa præsumpta.*

1 DIversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modo pro

procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus & post illum Cassanæus *in Catal. Gloriæ Mundi. p. 2. consid. 5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud Gen. 3. *cap.* homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram & pulverem revertatur. in quem finem piè admodum Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur. quamvis autem olim prohibitum fuerit, ne quispiam ipsa in Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur. *c. præcipiendum 13. q. 2.* postea tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, aliisq; piis & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur. *c. nullus 13. q. 2.*

2 q. 2. Quòd verò cadavera potius in locis sacratis maximè propè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minùs à spiritibus immundis vexentur, ut animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cœmiterio dedicata est, & ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis precibus defunctorum & ibi sepultorum memores reddantur. *c. cũ gravius & c. animæ. d. q. 2.*

3 Quær. autem; an omnes Ecclesiæ habeant Ius sepeliendi defunctos? R. Ius funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, propterea cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteria qua populum aut Parochiam non habent, extraneos defunctos sepelire posse, præter suos Religiosos Professos & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes. *c.* 1. 16. *q.* 1. *c. in nostri* 10. *de sepult.* dico, cessante consuetudine; nam hodie omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, sal-

ten

tem si ibi sepulturam elegerint refert Lancellotus. *in suis instit. de sepult.* §. 1. *in gl.* & si juxta textum *in c. 2. in fine h.t. in* 6. valet electio sepulturæ etiam in loco minùs Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Cæterum Ius sepeliendi ac cœmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi, Decisionem Rotæ adducit Barb. *de off. Par. p.* 3. *c.* 26. *n.* 14.

Quær. 2. an ergo quilibet in sua 4
Ecclesia Parochiali vel eius cœmiterio sepeliendus sit. R. imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cum Iura omnibus permittant etiam filiofam. sine consensu Patris, etiam in quacunque Ecclesiæ vel cœmiterio eius voluntatem implere modis omnibus oportet. *c.* 4. 13. *q.* 2. *c.* 1. *Ext de sepult c.* 4. & *passim. Eod. in* 6. Sin autem intestatus quis decesserit, cuius tamen

Maiores certam pro ſua familia conſtituerint ſepulturam in hac potiùs, quàm Eccleſia Parochiali tumulari debet. *c.* 2. & 3. *h. t.* in 6. Quòd ſi denique nec defunctus ipſe, nec Maiores eius certum ſepulturæ locum ſibi determinaverint, ad Eccleſiam ſuam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodo ad illam commodè deferri poſſit. *d. c.* 3. *h. t. in* 6. adeò ut ſi quis alienum parochianum contra Ius proprii Parochi ſepeliêrit, poſſit ad reſtitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occaſione ſepultura quomodolibet acceperit, conveniri. *c. exparte, &c. cum liberum h. t. c.* 1. *Eod. in* 6. Porrò nomine Parochiæ non tantùm venit locus, ubi quis *verum domicilium* habitationis perpetuæ tanquam civis & incola collocavit, ſed etiam *quaſi domicilium*, ſi nimirum in loco per notabile tempus, ut per maiorem anni partem, aut de facto habitârit, aut ſaltem animo habitandi advenerit, iſtud enim *quaſi*

domi

domicilium ex recepta DD. ſententia fundat Iurisdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta &Eccleſiaſticam ſepulturam. *Sanch. de matrim. lib. 3. diſp. 23. n. 12. Tuſc. L. S. Concl. 198. n. 7.* deciſum eſt tamen *in c. 3. h. t. in 6.* quod habens domicilium in civitate vel caſtro, quando ſe transfert in villam recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat in eadem, ſi non electâ ſepulturâ ibidem decedat, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua Parochiali, vel ſepultura maiorum debeat ſepeliri. Si defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, v. g. in uno per æſtatem, in altero per hyemem, & in duabus Eccleſiis Parochialibus Sacramenta frequentare ſolebat, in illa ſepelietur, in qua deceſſit, vel ſi extra utramque mortuus ſit, ad quam arbitrio propinquorum facilius deportari poterit. ubi enim duo vel plures habent æquale Jus & ſinguli in ſolidum ad rem, ordinariè melior ſolet eſſe præoccupantis conditio

arg. c. cum plures. 8. de offic. deleg. in 6.

5 Circa uxores ſpeciale eſt, quod ſicut in vivis relictâ familiâ propriâ ſecutæ ſunt viros ſuos, ita poſt mortem non in ſepulchro familiæ, ſed maritorum tumulandæ ſint, niſi propriam ſibimet elegerint ſepulturam, vel niſi divortium perpetuum ex cauſa adulterii vel hæreſis (ſecùs ſi temporale tantùm ex cauſa ſævitiæ, vel morbi contagioſi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum ſit. Quòd ſi aliqua plures ſucceſſivè Maritos habuerit, cum ultimo, cuius nomen & ſtatum retinuit, ſepelietur. *tex. & DD. in c. unaquæque. 13 q. 2 c. 3. h. t. in 6.*

6 Quær. III. quid dicendum, ſi ſepulchra Majorum ſint in diverſis Eccleſiis; & in hac quæſtione tres caſus eſſe diſtinguendos. I. Si in una Eccleſia ſepultus ſit Abavus, Proavus, in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem coniunctionem cum Patre & Avo ſepelietur. 2. S

Avus

Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum Patre, sedpotiùs cum Avo & Proavo sepelietur. *per tex. in c. fraternitatem. Ext. & c. is qui. h. t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes & majores *ab antiquo* soliti fuerunt tumulari. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alij contrà volunt, Patrem sequi debere. *authoritate tex. in c. unaquæque. 13. q. 2. §. item in novo. vid. Syl. v. sepultura. n. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si Pater non simpliciter pro se tantùm, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit: de quo casu non obscurè loquitur tex. *in d. §. item in novo.*

Quær. IV. Utrum ad electionem 7
sepulturæ requiratur aliqua solenni-

tas ? R. quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum, *ut per gl. addit. in c. 1. h. t. in 6. in v. prædictos. arg. c. ultimas. 13. q. 2.* Nihilominus tamen cum sit dispositio ad *pias causas* probabilius judico, nullâ aliâ solennitate muniri debere, nisi quòd eligens sit pubes. *c. pen. h. t. in 6.* compos mentis, & sufficienter constet de ejus voluntate. Nam quòd favore Militiæ *in tit. De militari testamento.* & favore Patriæ potestatis *in L. hac consultissima. §. ex imperfecto C. de testam.* concessum est, ut testamentum militis, & Patris inter liberos nullam solennitatem, sed tantùm probationem requirat, idem etiam DD. communiter & rectè ad *pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum fecit, extendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus fit mentio *in c. relatum. 11. de testam.* ad substantiam necessarii sint. *Cov. in c. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio piæ cau-*

sæ privilegio 2. Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non nimis exacta requiritur, quia licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valdè notabile. Undè electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda, *arg. l.* 1. *in fin. & ibi DD. ff. de V. O.* tradit Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. in Controv. inter Episc. & Regul. p.* 2. *q.* 64. *n.* 3. *& seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur. *Lauret. de Franchis. d. q.* 64.

Quær. V. An Religiosi, quibus 8
vel ob electam sepulturam vel sepulchrum Majorum Jus funerandi cadaver competit, possint propriâ authoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam defer-

re? R. omnium primò attendendam esse loci consuetudinem, vel specialia pacta cum Parocho inita, *arg. c. 1. de pact. in 6.* Cæterùm abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformiùs censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi. *arg. c. un. 13. q. 1.* pro quâ sententiâ etiam Bullam Leonis X. allegat Zypæus *in Annal. Iur. Pont. tit. de sepult. n. 5. & seqq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit Jus venandi, alienum tamen fundum ingredi à domino prohiberi potest. §. *feræ. 12. I. de rer. divis.* Notandum proindè est, quòd Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humanda usque ad Ecclesias præfatas associare possint, & ibi permanere, non tamen cum stola, neque ibidem decantantes aut aliam functionem facientes. *ita ex Declar. Card. & Tamburino docet Petrus de Murga in quæst. past. p. 3. q. 7. n. 6.*

Quær.

Quær. VI. An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sine electione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Panorm. quamvis primâ fronte id affirmaverit, tamen mox in negativam magis propendere videtur. *in c. de uxore. h. t. n.* 7. eo quòd Jura tantùm de Uxore loquantur, neque fæmineo vocabulo masculi contineantur ut ait J. C. *in L. si ita scriptum. de leg.* 2. & uxor quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur. 9.

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potiùs exemplo Patriarcharum cum suis Patribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam* nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordiâ transactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potiùs cum Uxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuam vitæ

societatem, affectionem & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; quæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè & circà hunc statuendum erit. *c. inter corporalia. vers. sicut ergo De translat. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumptâ voluntate Mariti defuncti induci potest, is enim sciens uxoris electam sepulturam & non faciens contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegisse. ut *quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret*, sicut in simili dicitur, *in c. unaquæque.* 13. q. 2.

10 Quær 7. an Prælatus Regularis possit sibi eligere sepulturam? affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. p. 2. q.* 61. *n.* 3. arg. à contrario sensu *cap. fin. h. t. in* 6. nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cùm alterius potestati subjecti sint, velle *proprium* non habent;

unde

undè cum Prælati circà ea quæ pertinent ad Regimen Conventûs & sui ipsorum habeant *suum velle*, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasqual. *d.l.* quòd huiusmodi electio sicut quælibet potestas debeat esse rationabilis, unde nullam fore censet electionem Sepulturæ, si eligeret Prælatus in loco, quò deferri non posset sine notabilibus expensis: aut si ex tali electione læderetur honor & bona opinio Religionis, sicut lædere-tur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

Quær. 8. an Religiosi inferiores 11
possint sibi eligere Sepulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa communior & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio Sepulturæ,

apertè additur hæc exceptio, *nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant. Pasq. d. p. 2. q. 60. n. 3. & plurimi apud eum cc. facit tex. in c, nimis iniqua.* 10. *de excess. Prælat.*

12 Quær. 9. an Novitius qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sua Parochiali? pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. c. 9. n.* 34. Angelus *in v. sepultur. n.* 26. eo quod Novitii non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterii. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad pleroſque effectus (extrà votorum obligationem) Religiosis connumerantur; nimirùm quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis. *c. Religioso. de sent. excom. in* 6, & fori *Navar. Cons.* 5. & 6. *de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisset, in proposito redeundi ad sæculum, nunquid, quia tunc elegisset mori in sæculo,

culo, censendus foret etiam extrà Monasterium elegisse sepulturam? Negativa verior est contrà Syl. *v. sepultura. q.* 8. quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi. *arg. l. domicilium ff. ad municipalem, &c.* Sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam, *Lauret. de Franch. in controv. inter Episc. & Regul. pag.* 2. *q.* 57.

Quær. 10. quid Iuris habeat Paro- 13
chus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam? R. quòd debeatur ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, post mortem eius etiam de funere aliquod emolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium

in tertio elegerit sepulturam, portio Canonica inter utriusque Ecclesiæ domicilia dividenda erit. *c. 2. h.t. in 6.* & quidem si de puncto Iuris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia, & aliquando quarta pars pro cuiusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima sua Ecclesiæ electæ sepulturæ reliquerit. *c. 4. c. cum super. c. certificari c. in nostrâ de sepulturis.* specialiter tamen excipitur *in c. fin. de testam.* quòd non sit solvenda portio Canonica de bis quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus. anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum legantur, & quamvis *in clem. dudum de sepultura d. cap. fin.* videatur abrogatum, nihilominus gl. *in d. clem. in §. verum.* & Cov. *in c. officii de testam. in 6.* censent, eandem Clementinam

tinam utpotè correctotiam & strictæ interpretationis non esse ultrà FF. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam. dixi porrò de puncto Juris communis hæc ita procedere: Nam per Bullas & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canonicam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scil. eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. persolvere tenentur. Sicut etiam d. Clem. *dudum*. circa portionem Canonicam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pii V. abrogatam esse, refert. Sylv. v. *portio Canonica. in fin.* & Meranda *in Man. Præl. tom. 2. q. 48. art. 8. vide etiam Tambur. de Iur. Abb. tom. 1. disp. 15 q. 17. Molina de I. & I. tract. 2. disp. 215.*

Quær. 11. an liceat Religiosis aut 14
Clericis aliquem inducere vel per-

suade-

ſuadere, ut in ſuis Eccleſiis eligat ſepulturam? R. id ſub pæna excommunicationis S. Pontifici reſervatæ & reſtitutionis cadaveris jam ſepulti prohibitum eſſe *in c.* 1. *de ſepult. in* 6. *& Clem. cupientes. De pœnis.* attamen rigor huius conſtitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per teſtamentum, codicillum, aut aliam promiſſionem revocabilem. Item cum textus loquatur de inductione circà proprias Eccleſias, non incurretur cenſura, ſi Regulares inducant ad eligendam ſepulturam in aliena Eccleſia, pœnalia enim ſunt ſtrictè interpretanda. *Paſqual. ad Lauret de Franch. d. p.* 2. *q.* 63. *n.* 2. *& ſeqq. Angelus in v. ſepultura. n.* 35. *Nav. in Man. c.* 27. *n.* 103.

Quær. 12. quomodo defendi poſſit conſuetudo, quæ undequaque inolevit, quòd pro ſepulturis pecunia accipiatur? In *c. cum in Eccleſia. 9.*

de Simonia, dicitur horribile, quòd pro sepulturis & exequiis mortuorum aliquid exigatur, &c. Econrrà in *c. ad Apostolicam. 42. de Sim.* damnantur Laici, qui id solvere recusant, quod Clerici pro exequiis mortuorum juxta laudabilem consuetudinem petunt. R. non posse pro ipsa sepultura, nec pro loco Deo consecrato tanquam pro rebus spiritualibus aliquid temporale peti sine labe Simoniæ. *c. quæsta. 13. q. 2. c. abolendæ. Ext. de sepult.* Verùm consuetu- 15
dine præsertim accedente non est iniquum si aliquid petatur. 1. pro conservatione cæmiterii vel loci specialis sepulturæ, aut sustentatione cantorum. 2 propter specialem laborem, ad quem sepeliens, qui Parochus non est, non tenetur: sicut in simili pro lectione Missarum stipendium accipi potest. 3. pro sustentatione Parochi qui aliàs exiguos reditus habet. 4. cùm Decimæ *personales* passim in desuetudinem abiêrint, & difficilè fuerit hominum substantias dum viverent

verent perſcrutari, ut ſciretur quantum quot annis lucrati fuerint; ideò fas eſt credere, in locum Decimarum *perſonalium* mortuaria ſucceſſiſſe, & Parochos contentos fuiſſe, quòd ſibi poſt mortem cuiuslibet ſummatim aliquid vice decimarum perſonalium exolveretur. 5. quòd honor & præeminentia ſpecialis ſepulturæ (dummodo illa præeminentia ſit propter reſpectum aliquem temporalem, ut quia eſt in loco ſublimiori & conſpicatiori) item obligatio Eccleſiæ, quòd nullum alium velit recipere ad locum electæ ſepulturæ, quàm eligentis familiam, ſit pretio æſtimabilis, cum plurimis tam Theologis quàm Canoniſtis cenſet Barb. *de off. Par. p. 3. c. 26.* 16 *& ſeqq.* Sed admoneo in hac quæſtione, nullo modo eſſe licitum, ſed contrà Chriſtianæ pietatis officium & per Ordinarios caſtigandum, quòd propter exactionem pecuniariam, ſeu mortuaria non ſoluta, defunctorum cadavera inhumata relinquantur. *Fabolendæ. de ſepult. Sac. Congreg. Epiſ.*

quæ

quam ex Sylv. refert Barb. in Collect. DD. ad Conc. Trid. ſ. 25. de ref. c. 13. n. 36.

§. UNICUS.

Quinam ſint indigni ſepulturâ Eccleſiaſticâ?

1. INdigni cenſentur, qui non ſunt de Eccleſia, videlicet Iudæi & Gentiles. *c. Eccleſiam 27. de conſec. diſt. 1.* quibus etiam annumerantur infantes Chriſtianorum, qui ante baptiſmum deceſſerunt. ſi tamen infans ab obſtetrice, vel cum materia aut forma dubia, aut etiam dum de eius vita dubium erat, baptizatus ſit, ſepultura Eccleſiaſtica privari non debet; item ſi in utero Matris manens unacum Matre moriatur, unacum illâ ſepeliendus eſt, quia pars Matris eſſe cenſetur *l. 1. §. ex hoc. ff. de vent. inſpic.* ſi verò propter ſpem vitæ à præmortua Matre effectus fuerit (quod fieri debet quando vita infantis ſervanda) nec tamen ſperatur 17

vivus

vivus baptismum attigerit, extra locum consecratum humabitur. II. Indigni sunt hæretici, atque omnes, qui ipsis in puncto hæresis (non in aliis negotiis) favorem, auxilium, aut receptaculum præbent. *c. 2. de hæret. in 6.*

18 Sed quia nonnunquam contingit, quòd familia alicuius potentis hæretici cum comminatione gravium malorum desideret sepulturam Ecclesiasticam hæretici defuncti, ideò quæritur, an ad evitandum grave malum possit Parochus dictam sepulturam concedere? Difficultatem facit. *c. Sacris. 5. De his quæ vi metusve causa &c.* ubi S. Pontif. dicit, quòd propter metum nullatenus liceat communicare cum excommunicato, *quamvis enim*, inquit, *metus attenuet culpam, eam tamen non prorsus excindit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, &c.* ex quo textu nonnulli concludunt, quòd metus non tantùm non excuset a transgressione legis Divinæ, aut naturalis, sed nec etiam à transgression

legi

legis humanæ, ſiquidem prohibitio communicationis cum excommunicato (de qua *in d. c. ſacris* mentio fit) tantùm Jure humano Pontificio, ſtatuta ſit; ſicut etiam videtur nullatenus poſſe licere, ut propter metum liceat contrahere cum conſanguinea intrà 3. vel 4. gradum, licet id impedimentum tantùm Juris poſitivi ſit. neque debeat exiſtimari inſolitum, quòd lex humana etiam cum periculo mortis obliget, quemadmodum in legibus militaribus quotidianum eſt. Verum ego puto diſtinguendum, an ſepultura hæretici, vel quævis alia tranſgreſſio legis Pontificiæ petatur, in contemptum Eccleſiæ, vel ex alia cauſa, v. g. ad ſplendorem familiæ conſervandum, &c. priori caſu locum habebit tex. *d. c. ſacris.* nam cooperari ad contemptum Eccleſiæ, non eſt tantùm lege humana, ſed utique etiam Divina prohibitum juxta illud *Matt.* 18. *qui Eccleſiam non audiêrit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Poſteriori autem

autem casu communior est sententia, quòd gravis metus excuset à transgressione legis humanæ, quia non est verisimile legislatorem voluisse obligare in casu tam extraordinario *l. nam ad ea ff. de LL.* & cum magno alterius damno. undè qui justo metu adactus contraxerit cum consanguinea, non peccabit per contractum, peccabit autem per copulam; cum enim tale Matrimonium propter impedimentum consanguinitatis (quod metus tollere non potest, sed tantùm excusare à peccato) sit nullum, copula consequens non tantum lege humanâ sed & Divina prohibita erit. Verum quidem est, quòd Dux belli possit imperare militibus, eosque etiam ad periculum vitæ obligare, sed id exigit salus publica & natura belli, atque ibi apertè constat de imperantis voluntate, & milites tam periculosarum legum non ignari, nihilominus se ultroneè Ducis potestati subdiderunt *Syl. v. metus. n. 7. Azor. inst. Mor. lib.* I *c.* II

c. 11. *q.* 1. Quòd si igitur contingat cum tam periculosis minis peti sepulturam Ecclesiasticam, non in contemptum Ecclesiæ, sed pro honore familiæ, ut præmissum, Parochus non tenebitur cum gravi suo damno resistere, cessante tamen periculo tale cadaver, si ab aliis dignosci possit, iterùm exhumare debet, ut clarè constitutum est *in c. Sacris* 12. *de sepult.* III. Indigni sunt in excommunicatione aut interdicto decedentes, si ante mortem saltem à simplici Sacerdote absoluti non sunt, quibus enim non communicamus vivis, etiam non communicare defunctis debemus. *d. c. Sacris. & c. fin. h. t. c. is, cui* 20. *De sent. excom. in* 6. si tamen ante mortem signa pœnitentiæ dederint, etiam post mortem absolvuntur, & sepulturæ Ecclesiasticæ mandantur. *c. à nobis* 23. *de sent. excom. & d. c. is cui.* Cùm autem hodiè per Extravag. Mart. V. *ad evitanda scandala, &c.* nullus excommunicatus necessariò vitandus sit, nisi

19

fuerit

fuerit per Ordinarium tanquam excommunicatus *denuntiatus*, vel sit notorius *percussor Clerici*, ideò controvertunt DD. utrum hodiè excommunicati, qui vitandi non sunt, sepulturâ Ecclesiasticâ gaudeant? Affirmativam sustinent Nav. *De sepult. Cons.* 4. & Paul. Laym. *in Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 8. *circa finem & plures apud eum citati*, ex eo, quòd circà tales excommunicatos deficiat ratio *in d. c. Sacris.* assignata. Nihilominus probabilius judico, si de excommunicatione constet publicè, non esse dandam Ecclesiasticam sepulturam, quia d. Extravag. non vult adiuvare excommunicatos, sed tantùm fideles innocentes, ne facile aliquam censuram incurrant. *Cov. in reg. lect. c. Alma Mater de sent. excom. in 6. p.* 1. §. 2. *n.* 11. *Zoes. ad tit. decret. de sepult. n.* 9. Notanter dico: si excommunicatio sit *publica*, nam si sit occulta & forte soli Parocho cognita non erit sepultura Ecclesiastica denegranda, quia privatâ scientiâ uti quis

dem licet quandoque in privato, non autem ad condemnationem in publico.

Quòd si quis notoriè excommunicatus defacto in loco consecrato sepultus esset, fortè posset tolerari propter authoritatem DD. qui primam sententiam docent, multa námque prohibentur, quæ tamen facta sustinentur. *c. ad Apostolicam de Regul.* maximè quandò irritatio facti multa incommoda secum ttahit, ut in nostro proposito exhumationem cadaveris, pollutionem & necessitatem reconciliandi Ecclesiam vel cœmiterium, præjudicium Parochianorum, qui interim propter pollutam Ecclesiam Sacrificiis, & sepulturâ carere debent. Sicut in simili Covar. *in relect. Clem. si furiosus. in pr. n. 9.* circa irregularitatem expositi cuius parentes ignorantur, & censet ob diversas opiniones expositum ad ordines non facile admittendum, admissum tamen tolerandum. IV. Sepulturâ Ecclesiasticâ privantur omnes in notorio

torio peccato mortali decedentes, uti sunt in ipso crimine furti vel adulterii, &c. interempti. *c. fures.* 20. 13. *q.* 2. item sibi mortem inferentes ex desperatione vel iracundia. *c. placuit.* 13. *q.* 5. secùs est, si ex fatuitate, vel si inflicto sibimet vulnere lethali ante mortem pœnituerint, imò in dubio non debet statim præsumi quòd peccaminosè sibi ipsi mortem aliquis intulerit, nisi ex aliis conjecturis appareat. *Nav. h. t. Conf.* 7. *Cov. var. res. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 11. Interim tamen quia cõmuni hominum existimatione creditur ex desperatione & in malo statu decessisse, qui v.g. in cubiculo suspensus, aut in puteum præcipitatus reperitur, ideò si ex adverso aliquæ conjecturæ adsint pro ipso defuncto, quòd ex corruptione mentis, aut ab aliis suspensus sit, vel quòd casu in puteum deciderit, &c. ad evitandam qualem qualem hominum offensionem fortè non inconsultò fiet, si tale cadaver de noctu sine consuetis solennitatib in loco conse-

crato

erato ſepeliatur. Cæterum ſubitaneâ morte extincti, etiamſi conſtet, quòd in vita ſæpiùs peccaverint, nihilominus ſaltem privatim pœnituiſſe cenſebuntur. *t. & Pan. in c. ex parte h. t.* V. Eccleſiaſticâ ſepulturâ non gaudent, qui omiſerunt Paſchalem Communionem, niſi ante mortem pœnituerint. *c. omnis utriusq; 12. de pœn. & remiſſ.* an autem hac pœna affici poſſit, qui quidem tempore Paſchali omiſit communionem, ſed intra annum ſemel aut ſæpius eam peregit? non putarem. cum enim privatio ſepulturæ ſit pœna valde gravis & infamis, videtur benigniori interpretatione temperanda *L. pen. ff. de pœn. c. odia. de R. I. in 6.* ut in *d. c. 12.* ſtatuta referatur ad omnia verba præcedentia, ſi nimirum aliquis nec *ſemel ſaltem* in anno confeſſus fuerit, nec communionem *ad minus* in Paſcha ſuſceperit, quæ non verificantur de eo, qui extra tempus Paſchale ſemel aut ſæpius confeſſus eſt. accedit, quod committentem contra *d. c. 12.* ideò

DD. tam graviter puniri existiment, quod se suspectum de hæresi reddat, quasi minus curans *Pœnitentiæ* Sacramentum. *Barb. in d. c.* 12. *n.* 11. idverò rationabiliter dici non possit, de eo, qui intra annum hoc Sacramentū ritè suscepit. VI. Usurarii manifesti mortui antequam restituerint vel de restituendo caverint, *c.* 2. *de usuris in* 6. Sed cûm Materia usurarum sit altioris indaginis, & multi contractus ab usura excusari possint, ideò non erit facile concedendum Parocho, ut propria authoritate sine prævio judicio Ecclesiastico tam gravem pœnam exequatur, & quìa hæc usurarum materia tum ratione peccati, tùm ratione cautionis ab usurariis quandoque coram Parocho præstandæ *jux. d. c.* 2. *Deum in* 6. tum denique ratione sepulturæ, propterea quæ circa usuras potiora sunt, inferius tractabo. VII. Religiosi proprietarii. *c.* 2. *c. cum ad Monasterium. de statu Mon.* VIII. Qui in Torneamentis non causa recreatio-
nis

his, & honestæ armorum exercitationis, sed cum periculo vitæ institutis decedunt. *c.* 1. *de Torneam.* IX. demùm excluduntur à sepulturâ Ecclesiasticâ, qui in duello etiam privato sine patrinis & sociis cum ordinario tamen periculo vitæ, ex condicto, statuto tempore, & in loco convento instituto, occumbunt, *Trid. S.* 25. *de ref. c.* 19. *juncta Bulla Greg. XIII. ad tollendum. & Clem. VIII. Illius vices, &c.* quòd si tamen aliquis in duello quidem lethaliter vulneretur, sed extrà illud receptis Sacramentis vel saltem datis pœnitentiæ signis moriatur, mihi videtur benignius non esse privandum sepulturâ Ecclesiasticâ, quidquid alii contradicant, quia Concilium tantùm loquitur de occumbentibus in duello, nec ex Bullis aliud evincitur: proindè locus est receptæ doctrinæ, quòd pœnæ potiùs interpretatione leniendæ quàm exasperandæ, nec ad casus etiam planè similes expressis extendendæ sint.

Prætereà pœnæ duellantium non habent locum in illis, qui dum sese invicem in platea offendunt, statim ibidem dimicant, quia cùm termini pœnales sint strictè accipiendi, talis dimicatio non est propriè duellum, quod fit ex condicto & statuto tempore, sed potiùs repentina aggressio & defensio. Item volunt nonnulli, calore iracundiæ excusari à pœnis duelli, qui in continenti accederent ad locum aliquem, ibique dimicarent, *vid. cc. apud Barb. in collect. DD. ad Concil. Trid. s. 25. de ref. c. 19. n. 13. & seqq.*

22 Sed quid si miles in exercitu, Vir equestris in Aula Regia officio, dignitate Ducis, aut Principis favore ob ignaviæ suspicionem excidere debeat, nisi identitè provocanti se sistat. Item si ad pugnandum lacessens alterum crebra convitia, & contumelias adjiciat, quâ iste molestiâ se liberando & subeundo dedecore aliter liberare non possit, nisi armis congrediatur, nunquid si talis provocatus in

duello

duello occumbat, sepulturâ Ecclesiasticâ privari debebit ? In similibus circumstantiis acceptantem duellum oblatum non animo occidendi provocantem sed gratiâ meræ defensionis, saltem in foro interno excusari putant Lucas Floronus. *de duello. c.* 6. §. 2. Fillivo *tom* 1. *tract* 15. *cap.* 5. *n.* 107. & 113. Laym. *in Theol. mor. lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Nav. *c.* 15. *n.* 3. & 4. pro eaque sententia speculativè plures rationes faciunt, quas adducit Lessius *de I. & I. lib.* 2. *cap.* 9. *dubio* 12. *n.* 83. practicè tamen contrarium tenendum videtur propter malas consequentias, & quòd plerumque aliud medium sit conservandi honorem, v. g. dicendo ad provocantem, se paratum fore, si per Ecclesiam liceret, vel provocantem experturum, quocum negotium habeat, si palam, & non proditoriè aggressus fuerit &c. *Lessius d. l. n.* 84. *Peregrin. de duello. q.* 24.

Sed quidquid sit de hac difficulta- 23
te an excusetur qui merè defensivè

duellum honoris causâ suscipit, quæ non est de præsenti instituto latiùs examinanda, interim tametsi supponerem sententiam affirmativam, dicerem tamen occumbentem in tali duello non esse Ecclesiasticè sepeliendum, id quod evincere videtur Bull. Clem. VIII. *illius vices, &c.* §. 5. ubi apertè statuitur pœnas duellantium procedere si unus miles cum altero etiam ex hostili castro, etiam Ducum permissu privatâ tamen de causâ duellum ineat: quale duellum profectò miles sine ingenti apud totum exercitum diffamatione, & contemptu utique detrectare non potest. Ratio autem fundamentalis est, quòd ad execrationem & extirpationem alicuius gravis criminis (in genere talis) aut abusus, multa fiant sine culpa verâ, quæ non fiunt sine causa aut culpa præsumptâ, & sæpenumero aliquis ex præsumptione mali damnetur, qui tamen reverà est innocens, ita electus per Simoniam alterius etiam ignoranter, dignitate privatur

c. ne-

c. nobis fuit 27. de Simonia. ita filii hæreticorum, item filii eorum, qui crimen læsæ Majestatis perpetrârunt, graviter puniuntur, per privationem bonorum, successionum, dignitatum, &c. ut ipsis *mors sit solatium, & vita supplicium*, quamvis ex sua persona nihil commiserint. *c. vergentis. 10. de hæret. l. quisquis. C. ad l. Iul. Majest.* ita multorum locorum sunt statuta, ut cum armis deprehensus in carcerem impingatur, imò nonnunquam illicò suspendatur, nullâ admissâ excusatione, quòd fortassis ad defensionem contra hostem arma gestaverit.

CAPUT IV.

DE PAROCHORUM POTESTATE disponendi circa sua bona & reditus.

1. *Bona Clericorum quadruplicia.*
2. *Circa Patrimonialia competit plena facultas disponendi, & post clericatum filiofam. advenentia censentur jure quasi Castrensis peculii.*
3. *Idem de industrialibus.*
4. *Idem de Parsimonialibus.*
5. *Etiam Parochus Religiosus bona Persimonialia habere potest ad usum.*
6. *Bona prospectu Ecclesiæ acquisita nonnisi in sui sustentationem, & superflua ad pias causas expendere possunt Parochi. & ibi an Clerici istorum bonorum habeant dominium?*
7. *Sustentatio potest desumi ex Ecclesiasticis, licet adsint Patrimonialia.*
8. *Quomodo accipienda sit congrua sustentatio.*
9. *Pulchrum monitum S. Bernardi.*
10. *Quid veniat nomine piarum causarum.*
11. *Parochus in officio diligentior, plus potest impendere in sui sustentationem.*
12. *Bona œconomia Parochi non debet transire in avaritiam.*
13. *Consanguinei non sunt ditandi ex bonis Ecclesiæ, possunt tamen juvari, ne egeant secundùm suum statum.* 14. *Qua-*

14. *Quænam dicatur notabilis quantitas redituum malè impensorum.*
15. *Malè impendentes probabiliter excusantur â restitutione, quamvis hæc illis pro tutiori consulenda sit.*
16. *Quæ sunt comparata ex reditibus Ecclesiasticis, assumunt naturam bonorum Ecclesiasticorum.*
17. *Quis possit Parochis dare licentiam testandi de reditibus Ecclesiasticis?*
18. *An testamentum ante impetratam licentiam factum, per eam confirmetur.*
19. *An testamentum Clerici in terris Imperii faciendum sit secundum Ius Civ. vel Canon.*
20. *Quales solennitates de jure Can. requirantur ad testamentum & ibi multa ad interpret.* c. cum esses. de testam.
21. *Vtrum licentia testandi expiret re integra morte concedentis.*
22. *Qualiter Parochis ab intestato succedatur.*
23. *Liberi illegitimi Parochorum an succedant, & an hodie dentur propriè naturales.*
24. *Circa alimenta natis ex damnato coitu præstanda non est inter utrumque Ius differentia.*
25. *De successione in reditibus Ecclesiasticis.*
26. *Quid de consuetudine, ex qua in reditibus Ecclesiasticis succedunt consanguinei & extranei heredes, sive ex testamento sive ab intestato.*
27. *Clericorum obæratorum privilegium.*

I. BOna Parochorum, sicut generaliter omnium Clericorum, in quadruplici esse differentia passim inter DD. convenit, alia enim sunt *patrimonialia*, ex hereditate, legato aut donatione acquisita: alia *Ecclesiastica* seu prospectu & ex stabilibus reditibus Ecclesiæ obvenientia: alia *industrialia*, quæ Parochus non tantùm ex industria profanâ, ut professura liberalium artium, contractu, aut artificio honesto, sed etiam ex industria spirituali acquirit, ut ex lectione Missarum, exceptione confessionum, benedictione nubentium, sepultura, aliisque specialibus functionibus Parochialibus, qui vulgo reditus *stolæ* appellari consueverunt: alia denique sunt bona *parsimonialia* quæ parochus parciùs, quàm sibi licuisset, vivendo collegit.

Porrò circà bona *patrimonialia* Parocho plenaria tam inter vivos quàm in ultima voluntate dispositio competit, atque si ab intestato moriatur

in illis bonis non Ecclesiæ (nisi in defectu legitimorum heredum *auth. licentiam. §. 1. C. de Ep. & Cler.*) sed proximis Consanguineis successio defertur. *c. fin. 12. q 4. c. 1. de pecul. Cler. c. relatum. 12. de testam.* imò speciale privilegium Clericis indultum est in *L. Sacrosanctæ 34. junct. auth. presbyteros. C. de Episc & Cler.* ut quamvis in potestate Patria constituti sint, in illis tamen bonis, quæ eis post Clericatum undecunque superveniunt, plenam tam inter vivos, quam per testamentum adinstar *quasi castrensis peculii* habeant disponendi facultatem.

Quod de bonis patrimonialibus, etiam de *industrialibus* (quæ *quasi patrimonialia* vocant) communiter sentiunt Authores, sive deindè ex profanâ sive spirituali industriâ comparata sint, quia fideles huiusmodi bona largiuntur Clericis in præmium & mercedem laboris, nec intendunt illis ullum onus imponere. *Lessius de I. & I. lib. 2. cap. 4. dub. 6. n. 37.*

4 Item & bona *parsimonialia* patrimonialibus quantùm ad effectum plerique annumerant, ut & in his plena dispositio Parochis concedatur, ut ex S. Thoma, Adriano, Soto & aliis probat Nav. *de redit Eccles. q.* 1. *mon.* 16. sequuntur Lessius. *d. l. n.* 39. Lugo *de I & I. tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 35. ratio est: quia in illa parte bonorum, quæ spectat congruam sustentationem, datur Clerico plenaria dispositio, nec imponitur illi necessitas ad pias causas erogandi, ergo si competenti sustentationi aliquid subtrahere velit, nihil obstat, quo minùs id in quoslibet usus expendere valeat.

5 Sed quid de Parocho Religioso dicemus, num & is bona parsimonialia habere possit, quæ pro suo libitu (saltem honestè) expendat? Satis probabiliter affirmat Nav. *d. q.* 1. *mon.* 33. non quòd Religiosus sibi quarundam rerum dominium acquirere rectè dicatur, sed quòd in illis bonis, quæ congruam eius sustentationem

tationem respiciunt, liberam expendendi facultatem à Jure & Superioribus habeat.

Bona *prospectu Eccles. acquisita*, sunt, 6
quæ in annuis & stabilibus reditibus, ut in decimationibus, fundationibus, &c. consistunt, de his bonis præliminaris est quæstio, an Clerici in iis usum tantùm, aut verum dominium habeant? Duæ sunt diversæ DD. sententiæ : Una usum tantùm non dominium concedit, dominium verò penes Christum, aut vicarium eius Romanum Pontificem esse asserit. probatur hæc sententia ex variis juris Canon. textibus, in quibus Clerici non domini, sed tantùm procuratores bonorum Ecclesiasticorum appellantur. ita *in c. quod autem.* 23. *q.* 7. dicit D. August. *quæ possidemus, non sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatẽ nobis usurpatione damnabili vindicamus.* similia habentur *in c.* 26. *& seqq.* 12. *q.* 1. Et in Concil. Trid. *S.* 25. *de ref. c.* 1. interdi-

terdicitur Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos suos ditare studeant: eo quòd Apostolorum Canones prohibeant, ne *res quæ Dei sunt*, consanguineis donent. Atque hanc partem cum Navar. *de redit. Eccles. q.* 1. & Panorm. *in c. cum esses. de testam. n.* 29. multi veteres Theologi & Canonistæ tenuerunt. Verùm altera sententia, quæ affirmat Clericos habere dominium reddituum Ecclesiasticorum hodie magis recepta est. Nam in primitiva quidem Ecclesia omnes Clerici in communi vivebant, & nullus suum aliquid proprium dicebat. *c. duo sunt.* 12. q. 1. posteà verò dilatatâ Ecclesiâ divisio beneficiorum, & reddituum Ecclesiasticorum inter Clericos per Dyonisium Papam facta est. *c. un.* 13. *q.* 1. *c. quatuor*, 12. *q.* 2. quæ sanè *divisio* nihil aliud fuit, quàm reditus alias communes facere cujuslibet proprios, cum divisionis titulus emptioni & permutationi assimiletur *in l.* 1. *C. commun. utriusque jud.* idque con-

firma-

firmatur ex Trid, *ſ. 23. de reſ. c. 1;* ubi Clerici non reſidentes in ſuis Eccleſiis & beneficiis dicuntur; fructus *non facere ſuos*: ergo â contrario ſenſu, ſi reſederint, *fructus ſuos faciunt*, is autem dicitur *ſuum* facere, qui dominium acquirit, ſicut mutuum (in quo dominium pecuniæ transfertur) dicitur, quod *ex meo tuum* fiat *l. 2 §. 2. ff. de reb. cred.* Ad Canones in contrarium allatos breviter reſponderi poteſt, quòd vel loquantur de tempore primitivæ Eccleſiæ, quo omnia fuerunt inter Clericos communia, vel quod SS. PP. & Trid. *d. l.* dicant, reditus Eccleſiaſticos eſſe *Dei & pauperum* non in ratione dominii, ſed obligationis ad honorem Dei, & ſuſtentationem pauperum diſtribuendi, ſicut quandóque res dicitur alicuius, non quam defacto habet, ſed quæ ei reſtitui debet *l. is qui 15. ff. de R. I. Zoes. ad tit. decret. de peculio Cler. n. 3. Leſſ. de I. & I. lib. 2. c. 4. n. 43.* fateri tamen oportet, hoc dominium non eſſe prorſus liberum,

ſed

sed certo modo limitatum & restrictum, eique bene convenire ultima verba in definitione dominii apposita, quod sit potestas liberè disponendi de re sua, *nisi quatenus jure prohibetur.* Enim verò bona ista *prospectu Ecclesiæ acquisita* Clerici & Parochi non aliter expendere possunt, quam in honestam sui sustentationem, & eorum superflua in pias causas. *c. quòd autem. 23. q. 7. c. 26. & seqq.* 12. *q.* 1. *Trid. S. 25. de ref. c.* 1. fatentur quoque DD. universi, gravis peccati mortalis reum esse, qui ea, quæ ex bonis Ecclesiasticis ultra congruam sustentationem superflunt, in profanas causas in notabili quantitate expendit. Ut præter Authores in hac materia hic allegatos novissimè pro plura argumenta & contrariorum resolutiones doctissimè ostendit R. D. Georg. Pûttner S. I. SS. Theol. Græcii Professor in tract. de Just. & Jur. tit. 4. cap. 2. Verùm circà istam conclusionem aliqua notanda sunt.

I. Tam

I. Tametsi Parochus alia bona habeat, nihilominùs illis reservatis poterit toram suam sustentationem ex bonis & reditibus Ecclesiæ desumere, quia dignus est operarius mercede suâ, & nemo suis stipendiis militare cogitur. *Innoc. & Pan. in c. Episcopus. de præb.* Quòd si Parochus ex bonis patrimonialibus vixerit antequam reditus Ecclesiasticos percipere potuit, fas erit ei, postea ex reditibus Ecclesiasticis tantundem inter bona patrimonialia computare. *Lessius. d. dubio. 6. n. 38. Lugo d. disp. 4. sect. 3. n. 44.* 7

II. Congrua sustentatio personæ non est quoad strictam vivendi rationem accipienda, sed etiam consideratio status, & dignitatis haberi debet, ita ut Parochus nobilis vel Graduatus plus in suam sustentationem impendere valeat, quàm alius minus litteratus, & humilioris conditionis. *arg. c. de multa. de præb. & Extrav. execrabilis. Ioa. XXII. de præb. Nav. d. q. 1. n. 36. n. 3.* Præterea à nomine congruæ 8

sustenta-

sustentationis etiam intelligitur debita hospitalitas, non solùm illa, quæ fit erga pauperes & peregrinos, & maximè commendatur Clericis in Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 8. sed etiam hospitalitas urbana cum moderatione debita juxta statum & qualitatem beneficii. Item in eandem sustentationem rectè imputantur moderatæ donationes remuneratoriæ & aliæ, quibus boni amici fiunt aut conservantur, quia virtus liberalitatis pro qualitate & conditione status plurimùm decet Virum honestum & ingenuum. *Lugo d. disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 66. *& n.* 73. generaliter pro regula tradit Molina *de I. & I. disp.* 145. *n.* 13. congruitatem sustentationis desiderandam esse, ex usu & consuetudine virorum qui sunt eiusdem conditionis ac timoratæ conscientiæ, in omnibus verò modestiæ, honestatis & decentis frugalitatis ratio habenda est, & observandum quod S. Bern. *in epistola ad Fulconem* scribit. *Concedatur tibi*, inquit, *ut si benè deservis,*

6

alio

altario vivas: non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, &c. & idem Bern. *in epistola 42. ad Hen. Sen. Archiep. Clamant*, ait *nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur; nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris, &c.*

III. Nomine *piarum causarum*, quibus superflua distribuenda sunt, non tantùm intelliguntur pauperes, non habentes necessaria ad usum, sed etiam ij, qui carent necessariis ad sustentandum statum juxta suam qualitatem & conditionem. Deinde recte quoque dicuntur ad pias causas distribui, quæ expenduntur, in usum Religiosorum, in fundandas Capellanias aut Missas, alimentationem alicuius studiosi, quem sui parentes, vel nolunt, vel non possunt in studiis alere in erectionem vel cõservationem Seminarii pauperum Scholarium, & universim quæcunque ad cultum Divinum

vinum vel ad misericordiam, spiritualem vel corporalem alterius ordinantur. *Lugo. d. disp. 4. sect. 3. n. 37 & sem. 4. n. 68.*

11 IV. Parochus, qui in administratione sui officii diligentior est, quàm de Jure teneretur, v. g. crebriùs per se ipsum audiendo confessiones, concionando, Missas legendo, docendo rudimenta fidei, visitando & consolando infirmos, &c. talis, inquam, Parochus poterit etiam plus boni viri arbitratu in suam sustentationem impendere: & consequenter si voluerit aliquantò parciùs vivere, plus bonis parsimonialibus vel industrialibus accensere juxta illud Apost. 1. *ad Tim. 5. Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Nav. d. q. 1. mon. 29. Molin. disp. 144. n. 23.*

12 V. In expendendis bonis ad pias causas potest se gerere Parochus, ut bonus Oeconomus, & ita aliqua pro futuris necessitatibus reservare, quæ vero-

verosimiliter timentur eventuræ. Non tamen debet hæc reservatio transire in speciem avaritiæ, ut Parochus velit nimis anxiè & Divinæ providentiæ parùm confidens, omnes casus qui quoquo modo evenire pos-13
sunt prævidere, & interim nihil vel modicum in pias causas erogare. *Nav. d. q. 1. mon. 25. n. 5. Lugo d. disp. 4. sect. 3. n. 41. & sect. 4. n. 74.*

VI. Licet in Concil. Trid. *s. 25. de ref. c. 1.* interdicatur quibuscunque beneficiatis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresq; suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, &c. Nihilominus ex communi sententia non est damnandus Beneficiatus si aliquantò plus in suos consanguineos eroget, ne secundùm suum statum egeant, vel ut honestiores in domo ipsius conspici possint, quia status consanguineorum humilium, nonnihil elevatur per promotionem Beneficiati. Sed non esse dàndum con-14
sanguineis ex quo superbi, otiosi aut

malè

vitiosi vivant, monet Nav. *d. q. mon.* 27. *n.* 4. *& 5. Lugo d. sect.* 4. *n.* 20.
VII. *Notabilis quantitas*, quæ in malè expensis reditibus Ecclesiasticis peccatum mortale constituit, non est eadem, quæ in furto sufficit, sed multo maior requiritur; quia cùm in mala applicatione bonorum Ecclesiasticorum non immediatè lædatur aliquis certus & proximus, sicut in furto, si quidem eiusmodi bona non magis debent distribui pauperibus, quàm applicari ad ornatum Ecclesiæ, vel alium pium usum, ideò videtur sufficere, quòd moraliter & à potiori benè distribuantur. quare Ioan. de Lugo. *de* I. *&* I. *tom.* 1. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 42. *vers. fateor.* putat imprimis attendendam esse quantitatem reddituum beneficialium, ita ut qui v. g. in centum superfluis viginti male impenderit, dicatur peccasse non venò ille, qui in mille superfluis tantùm 20. ad profanas causas exposuerit. generaliter autem existimat aliquem mor-

moraliter reditus Ecclesiasticos benè impendisse, & à gravi peccato excusatum esse, qui ex 100. ſ. tantùm profanis rebus applicaverit.

VIII. Consulendum foret omnibus Parochis & Beneficiatis, ut si aliqua de reditibus Ecclesiasticis malè impenderint in profanos usus, de bonis suis patrimonialibus, vel parciùs imposterùm vivendo restitutionem faciant piis causis; quia non est paucorum DD. opinio, hanc restitutionem eis de necessitate incumbere, ut videre est apud Cov. *in c. 7. de testam. n.* 10. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *sub. n.* 3. Interim omittentem hanc restitutionem non auderem facile damnare, propter authoritatem aliorum DD. qui contrariũ docent cum eodem Cov. Lessio *de I. & I. lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 6. *n.* 34. docet quoque Lugo *d. disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 48. accipientes à Clericis superflua non expensa in pios usus non peccare, si modo Clericos ad donandum vel alienandum non incitent & inducant,

quæ ſententia in rebus maioris momenti, & ubi accipiens non poteſt præſumere bono jure alienari, non caret ſcrupulo. & contrarium aſſerit
16 Sanch. *lib. 2. Conſil c. 2. dub.* 38 Illud tamen adnotandum eſt, quòd ea, quæ ex reditibus Eccleſiaſticis comparata ſunt, adhuc maneant ſub ratione bonorum Eccleſiaſticorum, & conſequenter in vivis ſint diſtributioni ad pias cauſas obnoxia, & poſt mortem ad Eccleſiam devolvantur. *c. 1. de peculio Cleric.* aliàs facilè eluderetur obligatio diſtribuendi ſuperflua ad pias cauſas, quia ſi beneficiatus ex ſuperfluis emeret fundos aut prædia, vel e contrà, ſi frumentum & Decimas venderet, jam illa prædia comparata, vel iſtud pretium ex Decimis acceptum liberè expendere poſſet.

Præterea circa bona Parochorum ulterius convenit inquirere, qualiter in illis *ex teſtamento* vel *ab inteſtato* ſuccedatur? quod breviter aliquot quæſtionibus expediam.

Q. Igi-

Q. igitur 1. an cum Parochi tan- 17
tùm de bonis *patrimonialibus*, *parsimonialibus*, *& industrialibus*, non verò *de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis* testari possint, ut præmissum, & patet *ex c. 1. c. cum in officiis. & c. quia nos. de testam.* an saltem id possint cum Licentia Papæ vel Episcopi? De S. Pontif. non est magna difficultas, utpote qui plenam facultatem habet dispensandi in Canonibus. *c. proposuit. §. licet. de Conces. præb. &* disponendi circa beneficia Ecclesiastica, eorumque reditus. *c. 2. de præb. in 6.* Episcopus autem regulariter talem licentiam concedere non potest, nisi ex privilegio vel consuetudine id habeat, quia non potest relaxare Jus Commune. *Clem. 2. in princ. de elect. c. dilectus. de temp. Ord.*

Q. 2. an testamentum valeat, si 18
prius à Parocho vel Clerico factum fit, quàm licentiam impetrârit? Negativa videtur puncto & subtilitati Juris civilis conformior, argumento ducto ex paritate rationis à testamento mili-

to militis, prout *in l. tribunus.* 20. §. 1. *ff. de milit. testam.* expressè decitur, quòd si quis ante militiam testamentum non solennne fecerit, & deinde militare incœperit, tale testamentum, cum prius fuerit invalidum, non incipiat valere tempore militiæ, nisi tunc miles per novum actum aliquem v. g. signando, corrigendo, addendo &c. suam voluntatem priorem confirmârit. Verùm quia de Jure Canon: subtilitates Juris Civ. non æque attenduntur, ideò non est improbabilis sententia Card. Tusci *litt. T. concl.* 145. tale testamentum valere, eo quòd Privilegia sint interpretanda secundùm intentionem supplicationis & privilegiantis, hæc autem in proposito verisimiliter fuit utriusque intentio, ut liceret testatum decedere, sive deinde testamentum factum sit, sive faciendum. Ex quo potest etiam assignari differentia inter hunc & priorem casum, quòd privilegium & licentia Parochi intelligatur simpliciter de

testamento, Privilegium verò militis tantùm de testamento, quod tempore militiæ seu expeditionis factum est.

Q. 3. An Clericus in terris Imperii existens teneatur testari secundum Jus Civile vel Canonicum? 19
Circa formam substantialem testamentorum plurimùm inter se differe Jus Civile & Canon. satis notorium est; nam de Jure Civ. requiri 7. testes masculos, puberes, specialiter rogatos, uno contextu subsignantes &c. constat ex *L. hac consultissima. C. de testamentis.* De Jure Canonico testamentum coram Parocho & 2. vel 3. testibus confectum valere deciditur *in c. cum esses.* 10. *X. de testam. Consuetudo*, inquit S. Pontif. *quòd testamenta penitùs rescindantur, nisi cum subscriptione 7. vel 5. testium fiant, secundùm quod Leges humanæ decernunt à divina Lege, & SS. Patrum instituto noscitur esse aliena, cùm scriptum sit, in ore duorum vel trium stet omne verbum. Præscriptam consuetu-*

dinem improbamus, & testamenta qua Paræciani coram Præsbytero suo & 3. vel 2. Personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere &c. In Qua utriusque Juris discordiâ communiter DD. putant, quodlibet Jus in suo foro obtinere, Jus Can. in terris S. Pontificis, Jus Civ. in terris Imperatori vel aliis Principibus subiectis. *gl. in d. c. cum esses. & ibidem Barb. n. 2.* Quia porrò Barb. *c. L. cum aliis* addit, Jus Canon. universaliter in foro Canonico etiam extra territorium temporale Papæ in hoc puncto procedere, idque confirmatur ex textu juxta magis communem interpretationem *in c. quod Clericis. de foro comp.* Clerici autem eorumque bona, consequenter & testamenta sint de foro Canonico, qui & aliàs legibus Civilibus à Iure Canon. reprobatis non adstringuntur, rectè infertur & concluditur, testamenta Clericorum etiam in terris Imperii existentium valere, si secundùm ordinationem Iu-

ris Canon. confecta fuerint. Sed hinc

Q. 4. an præsentia Parochi & 2. 2. vel 3. testium secundum Jus Can. *in d. c. cum esses.* sit de *substantia* testamenti, vel tantùm de *probatione*? si de *substantia*; Nullum erit testamentum alitet confectum: si de *probatione tantùm*: valebit quomodocunque factum, dummodo de voluntate testatoris constet. Communior opinio videtur præsentiam Patochi & testium pro forma substantiali assignare. *Pan. & Barb. in d. cum esses. Cov. ibidem n. 23.* Sed, ut verum fatear, inter alias opiniones DD. quæ mihi semper displicuerunt, aut certè non benè percepi, etiam hæc est: quia nec *textui*, nec *rationi* satis accommodare possum. idque ex sequentibus causis. 1. quia S. Pontif. *in d. c. cum esses.* reprobat solennitatem Juris Civilis quæ est ultra probationem necessariam, ergo non fuit ipsius intentio, ibi exigere solennitatem circa testamenta, sed tantùm probatio-

nem. Si enim ex sententia Panorm. & Cov. *cc. LL.* & in absentia Parochi pro forma substantiali requiruntur ad minus 4. testes, quodnam fuisset tam grande motivum, ut S. Pontif. cum obiectione legum divinarum, *duos tantùm testes* requirentium, tam graviter inveheretur in leges civiles, quæ 5. testes adeoque uno tantùm plures statuunt, cum & ipsemet uno vel duobus plures testes requisivisset quàm Lex divina: ne proinde Pontifex sibi ipsi còntradicat, nihil est verisimilius, quàm quod ibi tantùm *probationem*, non verò *solennitatem* desiderârit, nam & ipse textus S. Script. ibidem allegatus, *ut in ore duorum vel trium stet omne verbum*, ad probationem solummodo pertinet. Nihil obstat quòd etiam Parochi mentio fiat, quia ut rectissimè advertit D. Antonin. *apud Panorm. in 2. repet. d. c. cum esses. n. 13.* S. Pontifex tantùm narrat *accidentia facti*, loquitur enim de testamento, quòd fit in *extrema voluntate*, hoc est, ab a-

grotis

grotis & lethaliter decumbentibus teste Barb. *in eod. c. cum esses. n. 8.* ubi plerumque Parochus solet ob animæ dispositionem advocari. censet quidem Panorm. hoc esse divinatorium. Sed, salvâ reverentiâ tanti viri, magis mihi videtur divinatorium, quod S. Pontif. voluerit Parochi præsentiam, vel loco Parochi duos alios testes ideoque ad minus 4. pro forma substantiali statuere, quod posterius scil. suppletio 2. testium loco Parochi in textu nec verbo insinuatur. & si Parochi præsentia est de forma, non potest per æqui pollens suppleri, *tex. & DD. in §. tutor autem. I. de auth. tut.* sicut & in matrimonio manifestum est. *Trid. s. 24. de ref. mat. c. 1.* quam difficultatem præsentiens Barb. *d. l. n. 7.* respondet, Parochum non esse *de forma cum decreto irritanti*, sicut in Matrimonio, sed tantùm per modum excellentioris testis. anne hoc textus? minimè, mera ergo coniectura menti Canonis multum dissona, ut ex dictis & dicendis apparebit.

rebit. Deinde vel Parochus est de forma substantiali vel tantum de probatione necessarius ? si prius, habet per se implicitum decretum irritans, ex receptâ regulâ, *quòd non servatâ formâ resultet nullitas actus.* si posterius, Pontifex sibi contradicit, & non servat Jus divinum, cum præter 2. vel 3. testes insuper Parochum ad probationem requirat.

II. Si dubitetur, an Lex vel Canon præscribat certam formam substantialem actui, debet id decidi ex stilo & modo loquendi aliarum legũ formas actibus præscribentium, sed si omnes similes leges percurramus, ut in Matrimonio *Trid. s. 24. de ref. Matr. c. 1.* in alienatione rerum Ecclesiasticarum *Extrav. ambitiosæ. C. t.t. de reb. Eccles. non alien.* in alienatione rerum pupillarium *tt. C. de præd. minor.* in testamentis de Jure Civ. *d. l. hac consultissima C. de testam.* & pluribus aliis, constanter reperiemus, quòd leges non sint contentæ, si dicant, actum ita factum valere *ut in d. c. cum*

c. cum esses. sed positivè statuant & præcipiant, ita & non aliter debere fieri. Sanè non est bona consequentia; actus hoc modo factus firmus & validus est, ergo hoc & non alio modo debet fieri. veluti si dicam, emptio coram testibus sine Scriptura valet, non propterea infertur, ergo emptio necessariò debet fieri coram testibus. item *in c. relatum.* 11. *de testam.* dicitur, quòd testamentum *ad pias causas* coram 2. testibus factum subsistat, & tamen ex communi & receptissima sententia testamentum ad pias causas neque testes neque aliam solennitatem, sed tantùm probationem voluntatis desiderat. *Tyraq. de Priv. piæ caus.* 1. & 2. *Barb. in eod. c. relatum. n.* 4.

III. Non fuisset ratio præcipiendi ut in testamentis merè profanis Parochus interveniret. quid profanarum rerum dispositio ad Parochum? vel enim testamentum exhibendum foret Parocho & testibus *Clausum* vel *apertum*; si *clausum*, cur necessaria

qualitas Parochi, ad rem sibi incognitam? si *apertum*, nimis magna esset obligatio, ut testator ante mortem suam teneretur invitus (secùs si sponte vellet *nuncupativè* testari) manifestare heredem & legatarios, nec non bona & substantiam suam, atque ita se periculo captandæ mortis, aliisq; incommoditatibus exponere, quod nulla lege Juris Civ. vel Canon: est statutum, nec sine inconvenientissima divinatione asseri potest. Accedit, quod hoc modo Parochis imponeretur nova obligatio suam præsentiam exhibendi testamentis profanis, quam utique tam parum gratis exhiberent, quàm aliàs ad infirmos Sacramentorũ causâ accedunt, vel in matrimonio assistunt, indéque etiam difficultas testandi laicis pareretur

IV. Si præsentia Parochi & testium statuitur de jure Can. pro forma testamenti, tunc casus, quo Parochus ipse de bonis suis Patrimonialib9 vel aliis facit testamentum est indecisus,

vel

vel certè per meram conjecturam & divinationem decidi debet, quia Parochus non est ex *paræcianis*, de quibus *c. c. cum esses*. loquitur, nec propriè alium Parochum habet, sed potest se subiicere cuilibet legitimè exposito sacerdoti. Si dicas, debere loco parochi accedere 2, alios testes, ubi hoc ex textu elicis? erubesce, sine textu expresso novam formam præscribere. *Auth. consideremus de triente & semiss.* si per conjecturam ita laboriosè & anxiè textum explicas. cur non facilius & longè convenientius dicis, Parochum *in sæpe d. c.* 10. non poni *ordinativè*, sed tantùm *narrativè*.

Instas, periculum evitandæ fraudis circa testamenta committi solitæ desiderare plures testes. R. hoc periculum posse quidem esse causam, ut plures testes statuantur, sed non esse causam necessariam, ex qua simpliciter ista statui debeat, cum veritas rei etiam sine superfluis solennitatibus, per alias legitimas probationes detegi pos-

gi possit. *tex. in l. fin. C. de fidei com.* certè etiam in testamentis ad pias causas vel ex invidia erga heredem ab intestato, vel alio modo, item in testamento militari, aut patris inter liberos posse fraudes committi, nemo rationabiliter dubitare potest, & tamen in his nulla solennitas sed probatio tantùm requiritur.

Concludo igitur, mihi videri probabilissimũ, mentẽ S. Pontificis fuisse, *in sæped. c. cum esses.* 10. *de testam.* non tam *solennitatem* aliquam statuere, quàm *probationem* ultimæ voluntatis exigere, sive ut ex Joan. Crot. refert. Cov. *in eod. c.* 10. *n.* 26. testamenta ad solennitatem juris gentium reducere Quam sententiam illi præ cæteris amplecti deberent, qui cum eod. Panorm. *d. l. n.* 10. & copiosè relatis à Cov, *d. l.* 2. *n.* 10. docent, in Conscientiâ esse debitum, quod testator sine omni solennitate reliquit, dummodo de eius voluntate constet (quod idem & nos fatemur, si agatur de testamento, quod vel in territorio S. Pontifi-

Pontificis, vel â personâ Ecclesiasticâ, vel ad pias causas secundum jus Canon. fieri potuit) quia SS. Canones solent se ad forum conscientiæ præcipuè accommodare. *c. novit. de judic. c. ut animarum de constit.* quæ tamen de re videantur tradita inferius *de constit.* §. 3. quid autem dicendum sit de casu, quo testamentum debuit fieri secundum jus civile inferius in tit. *de constitutionibus* §. 3. trademus.

Q. 5. utrum licentia testandi expiret morte concedentis? non desunt qui id existiment apud Nav. *de redit. Eccles. q. 3. mon.* 8. quòd beneficiatus quasi ex authoritate & commissione Papali de rebus Ecclesiasticis disponat, omne autem mandatum vel commissio Papalis morte mandantis re integra expiret. *c. gratum de Offic. deleg.* contrarium tamen verius est, quia talis licentia non mandatum, sed simplex gratia censetur, quæ per mortem concedentis ne quidem re integra expirat *c. si cui 36.*

de præb. in 6. *Fachin. 5. Controv. c.* 100.

22 Q. 6. qualiter Parochis *ab intestato* succedatur in bonis *patrimonialibus, parsimonialibus & industrialibus?* R. successionem deferri proximis consanguineis jure & ordine in bonis laicorum usitato *jux. tit. Inst. & ibi interpp. de succes. ab intest.* Neque in hac successione computatio graduum secundùm arborem canonicam superius in p. 3. cap. 5. delineatam (utpote quæ tantùm ad matrimonium pertinet, quod sicut ex duabus personis consistit, ita in eo duæ personæ ad unum gradum trahuntur) sed secundum arborem Civilem instituitur, in qua generalis regula est, quod tot sint gradus, quot sunt personæ quæ à stipite descendunt ipso stipite non computato. *vid. Card. Tusch. lib. 5. concl.* 861. *n.* 91. unde ponamus quod defunctus reliquerit ex una parte filium sui fratris, & ex altera parte suum patruelem, id est, filium Patrui; si jam ex arbore

Canon.

Canon. fieret computatio filius fratris, & filius patrui æqualiter succederent, quia ea computatione uterque est defuncto in secundo gradu coniunctus: at verò juxta computationem Civilem filius fratris excludit patruelem, quia patruelis est defuncto in 4to ille autem in tertio gradu coniunctus.

Quod si nulli extent consanguinei ipsius Clerici defuncti, successio in bonis prædictis ad Ecclesiam (quasi spiritualem uxorem) cui Clericus præfuit, devolvitur. *c. fin.* 12. *q.* 5. *c.* 1. *de succeſſ. ab inteſt. auth. Licentiam.* §. 1. *C. de Epiſc.* In bonis Clericorum qui nec Consanguineos nec beneficium habuerint fiscus Episcopalis succedet. *Pan. in c.* 2. *de ſuecceſſ. ab inteſt. n.* 2. Non obstat hactenus dictis. *d. c.* 2. ubi bona Clerici defuncti jubentur distribui in 4. partes, & una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus & quarta parentibus assignari. nam hunc textum tantum loqui de servis, qui olim

lim à dominis manumissi in presbyteros ordinati fuerunt, quibus Civiliter non est cognatio, quæ successionem prætendere possit. §. *quod autem. 6. I. de Capit. dimin. junct princ. de servili cognat.* communiter exponunt DD. cum gl. *Panorm. & Barbosa. ibidem.*

23 Quær. 7. An illegitimis filiis ex Concubinis Clericorum progenitis debeatur successio, quæ aliàs in Jure filiis *naturalibus tantùm* seu *illegitimis* debetur ut scil. non extantibus liberis legitimis patri una cū sua matre in duabus unciis (id est, in duabus partibus, si hereditas in 12. partes dividatur) matri vero & omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum justis liberis plenè succedant. §. *novissimè I. ad Sc. Orfic. auth. si qua illustris. C. eod. t. Nov. 89. c. 12.* videtur probabilior sententia Navari *Consil. 2. de succes. ab intest.* tales liberos à Sacerdote vel alio Clerico præsertim in sacris ordinibus constituto esse progenitos *ex damnato coitu*

& con-

& consequenter illis nullam successionem competere. *arg. Nov. 89. c. 15.* ille enim *coitus* dicitur *damnatus*, quem lex reprobat & sub gravibus pœnis prohibet. *Harprecht. ad princ. I. de succeſſ. ab inteſt. n. 346. & Pan. in c. tanta. qui filii legitim. n. 12.* atqui omnis coitus est Clericis sub gravibus pœnis prohibitus *tt. de Cohab. Cler. & mul. Trid. S. 25. de ref. c. 14.* ergo &c. Dices, ex hoc sequi, quod hodie omnes, qui olim *Naturales* appellabantur, censeri debeant ex *damnato coitu*, eò quòd hodie concubinatus in utroque foro prohibeatur & puniatur. hanc illationem quidam valde probabiliter veram putant apud Harp. *d. l. n. 305.* & Pan. *d. n. 15.* Interim si cum eòdem Harp. & Pan. velit quis tenere, adhuc hodie dari *naturales* in ordine ad successionem, poterit illam dare differentiam inter liberos Clericorum & Laicorum quòd successio in bonis Clericorum dependeat à Jure Canon. ex quo semper

per fuit concubinatus graviter prohibitus: at verò ſucceſsio in bonis laicorum dependeat â jure Civili, de quo jure concubinatus non fuit quidem approbatus, fuit tamen toleratus, & liberis inde natis certa ſucceſsio adſcripta licet autem hodie jus Canon. etiam in foro ſæculari ratione peccati receptum ſit, non tamen reperitur ſucceſsio *naturalium* per aliquam legem ſublata, correctiones verò & conſtitutiones pænales recipiunt ſtrictam interpretationem *l. præcipimus in fin. C. de appell. c. odia de R.I. in 6.* habet tamen hæc reſponſio ſuam difficultatem, an non ceſſante cauſa tolerati ſcil. concubinatus, hoc ipſo ceſſet ſucceſſionis effectus.

24 Cæterùm verò quod in *d. nov. 89. c. 15.* additur, filios *ex damnato coitu nec alendos eſſe â parentibus*, non cenſeo ita rigidè accipiendum, ſicut ſolent communiter DD. accipere, quaſi vero de Jure Civ. iſtis filiis nulla alimenta debeantur, ſed tantum de

Jure

Jure Canon. *per c. cum haberet. de eo qui duxit.* hoc enim fuisset indirectè parricidium talium liberorum concedere *l. necare ff. de agnosc lib.* quòd à mente Christiani Imperatoris utique alienum fuit. Ideoque potius existimo, utrumque Jus hoc modo esse concordandum & declarandum, quod præfatis liberis non debeantur alimenta secundum statum parentum ut v. g. filius adulterinus, vel incœstuosus aut alias damnatus comitis alatur ut comes, sed ut privatus juxta necessariam vitæ conservationem.

Q. 8. quis *in bonis prospectu Eccle-* 25
siæ acquisitis Clerico succedat? R. Ecclesiam succedere exclusis consanguineis *tex. & DD. in c. 1. de succes. ab ineſt*, nomine autem Ecclesiæ bona consignanda sunt successori qui illa cum aliis Ecclesiæ bonis in timore Dei dispensabit, in collegiis autem Clericorum & Canonicorum non successor in præbenda sed totum collegium succedit. *c. relatum 12. de*

testam.

testam. si defunctus plura habuerit beneficia in diversis Ecclesiis inter ipsas Ecclesias juxta proportionem redituum perceptorum divisio facienda est. *d. c. relatum vid. Ioan. Hon. in tit. de peculio clericorum n.* 14. Consuetudine autem introduci posse, ut successio vel dispositio in bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis ad Episcopum vel alium Prælatum pertineat, probatur *ex c. fin. de off. ord. in* 6. In dubio præsumuntur bona *prospectu Ecclesiæ acquisita,* & heredibus extraneis incumbit onus probandi contrarium. *c.* 1. *de pecul. Cleric.*

Q. 9. quid sentiendum, de illa consuetudine, quod reditus Ecclesiastici Parochorum sive ex testamento sive ab intestato ad consanguineos vel heredes extraneos passim & integrè transferantur? Non desunt pro & contrà hanc consuetudinem multæ graves authoritates & rationes, quas refert Cov. *in d. c.* 7. *n.* 23. *& seqq.* Remita componunt Molina *de I. & I. disp.* 147. *n.* 27. & Azor *inst. mor.*

mor. p. 2. l. 7. c. 9. q. 1. quod per consuetudinem Clerici *valide* testari possint sed non *licitè.*

Verùm ego considero substantiale requisitum consuetudinis (sine quo nullum effectum habet) esse, ut sit *rationabilis. c. fin. de consuet.* talem verò consuetudinem, qua sine peccato mortali ex sententia Azorii & Molinæ uti non licet, & per quam id quod ex sententia SS. Patrum & enixâ constitutione Canonum pauperibus ac Ecclesiæ debetur, ad profanas causas distribuatur, esse rationabilem, sanè mihi nemo persuaserit, & hinc non vana est vulgi opinio, vel experientia, quòd bona Clericorum apud Laicos heredes parùm fructificent. Accedit: quod experientia constet per talem consuetudinem non exiguum damnum inferri Ecclesiis quandò decedentibus Parochis omnia ad heredes devolvuntur, & interim Ecclesia vix sarta tecta, nedum debita ornamenta & novus parochus vix media se alendi habet; ut vel ex

hoc

hoc capite prædicta consuetudo invalida videatur. *c.* 1. *de consuet. junct. c. cum in officiis.* ibi : *nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes. &c. de testam.* Quare illam valere consuetudinem existimo, quæ approbatur in *c. relatum.* 12. *de testam.* ut Parochus possit aliqua de reditibus Ecclesiasticis in ultima voluntate relinquere piis locis, pauperibus, & qui sibi in vita aliquod servitii meritum exhibuerunt, sive deindè isti pauperes aut servientes sint consanguinei, sive extranei.

Sed quid ad præcipuum Adversariorum (defendentium ex consuetudine *validam* sed non *licitam* Clericorum dispositionem) argumentum respondebimus ? Quod nimirum Clerici sint *veri Domini* suorum reddituum etiam superfluorum, ideoque sicut inter vivos saltem *validè* quàmvis non *licitè* eos ad profanas causas alienare possunt sine restitutionis onere, ita etiam per testamentum; cum ex multis instan-

tiis

tiis appareat, plurima fieri *illicitè* non tamen *invalidè &c.*

Profectò si hoc argumentum accuratè expendatur, non est tam solidum, ut primâ fronte videtur. nam inprimis palam est, hic *incertum per incertum probari.* Si quidem hæc omnia apud DD. planè dubia & controversa sunt, an Clerici suorum redituum superfluorum ita habeant absolutum, simplex, & irrestrictum dominium, ut eos valeant validè & irrevocabiliter in alios profanos usus transferre, sine ullo restitutionis onere? contrarium enim ab authoritate plurium Doctorum & rationibus gravibus pulchrè ostendit Paulus Laym. *in Theol. Mor. lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. v. ad alteram quæstionem.* Nec est semper bona consequentia, hic est Dominus rei, ergo potest Dominium suum in alium transferre. licet enim hoc procedat, ubi dominium est absolutum & liberum, non tamen ubi est certo modo restrictum modificatum & limitatum. v. g. si testa-

tor jubeat hæredem dare pauperibus 100. non assignata specie monetæ, heres erit debitor *generis*, & consequenter antè solutionem verissimus Dominus, quid, si in alios quàm pauperum usus omnes facultates hereditarias insumpserit, anne liberatus est ab obligatione solvendi pauperibus? minimè. planè quod testator heredi, hoc Canones, hoc Fundatores ex Canonum interpretatione beneficiatis iniungunt *c. quod autem. 23. q. 7. Trid. S. 25. d. ref. c. 1.* similiter cui fideicommissum familiæ relictum est, in vita sua verus est Dominus, extra familiam tamen alienare non potest &c. unde rectè additur definitioni Dominii, quod sit potestas liberè disponendi de re sua, *nisi jure prohibeatur*. Deinde etiam ex supposito Adversariorum non est difficile, inter actus inter vivos, & ultimas voluntates differentiam assignare, nam dum Clericus superfluos reditus alienat inter vivos, ipse tunc & non alius habuit dominium: si verò dispo-

disponat per testamentum, testamentum incipit valere post mortem *ad Hebr. 9. l. 1. ff. qui testam. fac. l. 4. ff. de adim. Leg.* post mortem autem non tantùm Clericus non est amplius Dominus, sed *ipso Iure* bona eius prospectu Ecclesiæ acquisita ad Ecclesiam devolvuntur, cui proinde per suam dispositionem præjudicare non potest. *respondemus*, inquit. Pontif. *in c. relatum 12. de testam. quòd generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita, ei debent juxta Later. Conc. post acquirentis obitum remanere* & infra: *nec de jure in alios pro morientis arbitrio transferri possint.* Adde *c. cum in officiis 7. de testam.* ibi in fine: *sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* adde c. 1. & 3. *de peculio Cler.* Quo Jure ergo hæc bona ab Ecclesiis auferuntur & extraneis *validè* relinquuntur? Non sanè *Iure scripto*, quia uniuersi Canones reclamant: anne *consuetudinario*? ita, aiunt adversarii, *consuetudinario.*

sed doceant, quæso, me sic argumentantem: Consuetudo quæ non est *rationabilis* non valet contra Canones. *tex. clarus in c. fin. de consuet.* non enim consuetudo, sed *corruptela* est. at verò hæc consuetudo, ut Clerici ad profanas causas suo arbitrio testentur, non est *rationabilis*, ergo &c. minorem probo: consuetudo, quæ toties quoties exercetur invitat ad delinquendum, imo facit semper mortaliter peccare utentem illa, non est *rationabilis*, sed consuetudo, ut Clerici testentur ad profanas causas non potest exerceri *licitè* & sine peccato Clericorum, ergo est *irrationabilis & invalida*, ergo contra Canones nihil operatur. Maior est lumine naturæ nota, quomodo enim potest esse *rationabile* quod me conjicit in periculum, imò & damnum salutis æternæ. *tex. in d. c. fin.* ubi *ex periculo salutis* judicatur *corruptela. c. ex parte cum suo Summario de Consuet. c. fin. de præscript.* Minor est adversariorum Molinæ, Azorii, Lessii & aliorum

rum, consequentia (salvo tamen meliori Judicio) est nostra. Ut nihil dicamus de damno Ecclesiarum, propter quod ipsum consuetudines tanquam irrationabiles reprobantur *in c.* 1. *de Consuet.* quod verò dicitur, multa in Jure esse *illicita*, sed non *invalida*: *c. ad Apostolicam. de Regular.* id verum est, si *illiciti* actus *valor* sustineatur à *Iure* aliquo *valido* nimirum à justa Lege, vel Canone, aut à justa, legitima & rationabili consuetudine, qualis in præsenti non est, ut ostensum.

Nihil quoque movere debet id, in quo contrariæ sententiæ DD. plurimùm se fundant, quòd nimirum S. Pontifex non contradicendo videatur tacitè approbare prædictum usum ad profanas causas testandi, quem vix potest ignorare, cùm in multis Orbis partibus practicetur. præterquam enim quod in novissimo Concil. Trid. *d. Sess.* 25. *c.* 1. satis contradictum videatur, jam in ferè simili materia (videl. circà pluralitatem beneficiorum à multis sine legi-

timâ dispensatione & scrupulo obtentam) declaravit Pont: quòd sua taciturnitas non approbet tales usus, qui non satis rationabiliter adversus SS Canones inducuntur, *multa*, inquit, *per patientiam tolerantur, quæ cum in judicium deducta fuerint exigente Iustitiâ tolerari non debebunt. c. cum jam dudum. 18. ubi gl. in v. patientiam. De præb.* Demùm neque illud argumentum aliquid evincit, quòd S. Pontif. per privilegium concedat licentiam testandi Clericis ad profanas causas, quæ testatio si irrationabilis esset, non rectè per Pontificem concederetur. Multa namque in uno vel altero particulari casu rationabiliter conceduntur, quæ tamen universaliter concedi *rationabiliter* non possent, veluti si inter consanguineos in 2. vel 3. gradu ad Matrimonium, aut cum luscis, illegitimis, vel alio modo irregularibus ad SS. Ordines dispensetur. Unde illa etiam consuetudo præ cæteris tolerari potest, si Clerici antequam testentur,

ſtentur, ſaltem licentiam Epiſcopi requirere debeant, ex cuius prudentia præſumitur neceſſitatibus communibus pauperum & Eccleſiarum ſatis proviſum iri. Ita ut non aliter cõcedat teſtandi facultatẽ, quam ſi viderit indemnitati Eccleſiæ ſatis conſultum eiq; aliqua ſaltẽ portio in tali teſtamento relinquatur. videatur etiam pro hac noſtra ſententia Paul. Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 3. num. 7.*

Addo tamen finaliter, antequàm hæc conſuetudo authoritate Superiorum declaretur invalida, poſſe heredes Clericorum in foro interno excuſari ab authoritate extrinſeca magni nominis Doctorum, qui hanc conſnerudinem validam pronunciant.

Poſtremò dum de bonis Clerico- 27
rum agimus non eſt omittendum ſingulare illud Privilegium Clericorum, quòd propter debita incarcerari vel excommunicari nequeant, ſed

si de facto non habeant, unde solvant, satis est, quod caveant & promittant de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam devenerint, gaudentque beneficio *competentiæ*, ut usque ad *sacxum & peram* executio contra eos fieri non possit, sed competat congruæ sustentationis deductio *tex. & Interpp. in c. Odoardus. 3. de solut.* Cui Privilegio, utpote toti Ordini Clericali concesso, ne quis in opprobrium eius mendicare cogatur, Clericus renunciare non potest. *arg. c. si diligenti. de foro comp. Hen. Zoës. ad tit. Decret. de solut. n. 5.* Advertit autem Riccius *in praxi c. Odoardus. decis. 268. & seq.* quod Clericus negans debitum, & de eo per sententiam condemnatus, nec antea illud agnoscens, vel qui dolo & sub spe *d. c. Odoardus.* debita & æs alienum contraxerit. non gaudeat prædicto Privilegio, quod videtur admittendum saltem quoad illa media compulsoria, ut Clericus in tali casu contra incarcerationem vel censuram excipere non

non possit, quòd verò etiam propterea omnibus bonis exui possit, non est satis in Jure Canonico expressum, neque propter reverentiam Ordinis Clericalis facile inducendum cum factum & delictum cuique suum, non alteri, minus Ecclesiæ seu Ecclesiastico honori nocere debeat. *L. factum. 155. ff. de R. I. c. delictum. Eod. tit. in 6.*

PARS V.

MISCELLANEA

Seu

DIVERSÆ MATERIÆ PRACTICÆ PAROCHIS aliisque scitu utilissimæ.

CAPUT I.

De Constitutionibus & Legibus Naturalibus, divinis & humanis.

CUm totus hic tractatus ex diversis constitutionibus & legibus haustus sit, omnesque homines legibus dirigantur, quarum obligatio, quæ, quantaque sit apprimè ad Parochos & conscientiarum moderatores pertinet. Ideò non multum extra chorum me saltaturum existimavi, si Manuali Parochorum hanc scitu quàm maximè necessariam materiam adiungerem.

§. I.

§. I.

Quid & quotuplex sit constitutio ac quænam eius causa?

Summaria.

1. *Quid & quotuplex Ius naturæ?*
2. *Quid & quotuplex jus gentium.*
3. *Quid Lex positiva.*
4. *De Lege divina.*
5. *Leges veteris testamenti quales, & an etiam hodie obligent.*
6. *De Lege divina novi Testamenti, & Epistolis Apostolorum.*
7. *Quid Lex humana positiva & quotuplex.*
8. *De conditionibus & causis legum humanarum.*

COnstitutio à constituendo sive statuendo dicta in sensu ordinario solùm legem positivam & scriptam denotat, & non nisi valdè impropriè *jus naturæ* vel *consuetudo* constitutio diceretur. Est enim *Ius naturæ* inquit Isid. in c. 7, dist. 2. *commune omnium nationum ex instinctu naturæ non constitutione aliqua procedens.* Et *consuetudo quæ non de statuto sed moribus solum tracta est,* 1

c. 4. *ead. dist.* 2. Quia verò in constitutionibus frequens juris *naturalis* mentio fit & pleræque leges ac constitutiones in Jure naturæ fundamentum aliquod habent, ideo prænotare oportet, hoc jus naturæ dividi solere in *primævum & secundarium*; *primævum* sive *materialiter sumptum* est, quod natura omnia etiam bruta animantia docuit, ut maris & fœminæ coniunctionem, prolis educationem, contra violentiam defensionem &c. *Secundarium* autem quod à ratione dependet, & hominibus proprium est, uti sunt liberorum hereditaria saltem in legitima successio, pactorum & contractuum observatio, alieni iniusti damni eviratio. unde non ineptè Grati: *in princ. dist.* 1. summam juris naturalis in illo Evangelii præcepto *Matth.*7. asserit, quo *quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri.* Dummodo ea interpretatio adhibeatur, ut illa voluntas qua sibi quis vult aliquid fieri, vel non fieri,

sit

sit secundum rectam rationem, & circa talem rem, in qua quis, si casum in propria sua persona fingeret debitum justitiæ agnosceret, non vero ex inordinato affectu vel habendi cupiditate. E. g. debeo Titio centum ex mutuo, quod ille, quia nullum habet à me chyrographum probare non potest, cogito, an tenear solvere? invertam casum & ponam Titium mihi debere mutuum, quod probare nequeam, mox dictabit naturæ instinctus, quid vellem mihi fieri, quod justum & æquum sit, ergo idem in eodem casu & iisdem circumstantiis faciam alteri &c. Aliud est, si cuperem à Titio mihi donari centum, non ego propterea teneor Titio donare centum, quia hæc voluntas circa alterius bona cum damno eius vel non est secundùm rectam rationem, vel per se clarè constat, quòd non habeat materiam debiti & obligationis. Unde etiam Lex naturalis apud Theologos *recta hominis conscientia & participa-*

tio quædam Legis æternæ in creatura rationali convenienter appellatur.

2 Porro Jus naturale *secundarium* etiam *Ius gentium* vocatur, quod omnibus gentibus inditum sit. hinc in Jure obligationes ex contractibus, item modi acquirendi, qui habentur *in lib. 2. inst. tit. 1.* promiscuè & Juris naturalis & gentium dicuntur. Sed & *Ius gentium* dividi solet, quod aliud sit *primævum*, aliud *secundarium*, sive aliud *rationis*, & aliud *ratiocinationis*. Jus gentium *primævum & rationis* est ipsum Jus *naturale secnndarium*, sive illa ratio æquum ab iniquo dijudicans à natura sive Deo Authore naturæ hominibus infusa. Jus verò gentium *secundarium* est, quod ex ratione non simplici, sed *ratiocinata*, & per discursum practicum necessitate hominum ita exigente introductum est. Quo pertinere videntur ea, quæ referuntur *in c. Ius gentium dist 2* nimirum sedium occupatio, munitio, bella, captivitates, postliminia, Legatorum non violandorum Religio &c.

& hoc

& hoc jus gentium non tam constitutionibus, quam consuetudini & mori, sive usui hominum annumerandum est: nisi quod multa, quæ juris naturæ & gentium sunt, lege etiam positiva & constitutione Imperatoria vel Pontificia confirmentur.

Plurimùm autem interest, sitne aliquid præcisè Juris positivi humani, vel etiam Juris naturalis. nam quæ Juris naturæ sunt, contraria institutione vel consuetudine abrogari nequeunt §. *sed naturalia I. d. I. N. G. & c. c. ult. de consuet.* secùs vero illa, quæ Iuris tantum humani sunt *c. 1. hoc tit. in 6.* item quæ Iuris naturæ sunt, semper in conscientia stringunt, *d. c. ult. de consuet.* Leges verò humanæ quandoquæ solum in foro externo non interno obligant, ut si merè pænales, si in falsa præsumptione fundatæ sint &c.

Lex *positiva* est constitutio scripta 3
ait Isidorus *in c. 3. dist. 2.* unde &

secun-

ſecundum aliquos Lex *à legendo*, cùm *in ſcriptis* proponatur, vel ſecundum alios *à ligando*, quod populos *liget*, aut ab *eligendo*, quod ſit electa vivendi norma, denominatur. Nam cùm effrœnata hominum cupiditas in vitia & jurgia prona ſit, ideò legem dare neceſſe fuit, ait Pontif. *in proœm. Decret.* ut appetitus noxius ſub Iuris regula limitetur, per quam genus humanum ut *honeſtè vivat*, *alterum non lædat*, *jus ſuum cuique tribuat*, informetur.

4 Eſt autem conſtitutio *poſitiva* duplex, *divina & humana*: divina quæ à Deo lata eſt; & hæc rurſus ſubdividitur, quod alia ſit veteris, alia novi teſtamenti. Inter leges veteris teſtamenti denuò diſcrimen eſt conſtituendum, aliæ enim ſunt *cæremoniales*, aliæ *judiciales* & aliæ *morales*, *cæremoniales* ſunt, quæ ad cultum divinum & ritus ſacrificiorum judaicorum pertinent. *Iudiciales* quæ circa cauſas judiciales & debitum ordinem ac æquitatem in populo Iudaico ſervandam

vandam præscriptæ erant: *morales*, quæ ex dictamine & instinctu naturæ procedunt, uti sunt Decalogi præcepta.

Leges *cæremoniales & judiciales*, 5
quia vel specialiter pro gente Iudaica eorumque moribus latæ, vel præfigurativæ Christi, & *umbra futuri luminis* erant per Adventum Christi & veri luminis disparuerunt, & vim obligandi amiserunt ut ex D. Paulo *ad Gal. 3. & 4.* satis probatur, & docent Interp. communiter *ad. c. un. de purif. post partum.* imò cæremonialium legum observatio non tantùm mortua, sed etiam mortifera & interdicta est Christianis. *Iudiciales* verò licet ex se non obligent tempore gratiæ, propter moralem æquitatem tamen vel honestatem possunt, etiamnum hodie vel constitutione vel consuetudine introduci *c. 1. de homicidio. c. 1. & seqq. de iniuriis.* illæ quoque leges *cæremoniales*, quæ non tam mysteria nascituri Christi præfigurabant, uti sunt immolatio Agni,

circum-

circumcisio &c. quàm potius ad devotionem & cultum Dei decenter peragendum pertinebant, veluti vestes sacerdotales &c. etiam in nova lege per Ecclesiam repeti possunt, ita tamen ut non ex Lege divina sed Ecclesiastica obligent. *Moralia* præcepta veteris Testamenti adhuc vim habent, & perpetuò habebunt, non tam ex auctoritate veteris Legis, quàm ex eo, quod sint à natura ipsa instituta & à Christo in Evangelio passim præcepta & *mandata servare* jubente repetita. Demum aliquæ sunt leges *mixtæ*, quæ partim sunt cæremoniales vel judiciales & partim *morales*, cuiusmodi sunt *decimæ*, quæ quo ad quantitatẽ, scilicet decimam partem, legibus *judicialibus*, quo ad congruam sustentationem ministrorum Ecclesiæ *moralibus* rectè annumerantur, ut superius *ad princ. tit. de Decim.* dictum. item Sabbathi sanctificatio, quæ quo ad diem Sabbathinum cæremonialis, quo ad cultum divinum,

divinum, qui aliquibus saltem diebus soli Deo debetur, moralis est. istæ leges mixtæ non obligant quidem hodie ex Jure divino, in quantum sunt cæremoniales vel judiciales, sed in quantum sunt morales, qua de re videri poterit Cov. *variar. resolut. l.* 1. *c.* 17.

6 Leges divinæ novi Testamenti sunt, quæ à Christo Domino circa fidem, Sacramenta & Sacrificium constitutæ sunt, atque ab ipso vel ab Apostolis promulgatæ. Circa epistolas & scripta Apostolorum advertendum est, quod illa tantum ibi contenta sint Juris divini, quæ talia esse ex verbis Apostolorum sufficienter colligi potest v. g. si Apostolus dicat, *ego accepi à Domino, Dominus ordinavit* &c. cæterum verò ipsi Apostoli tanquam suo tempore Primates & Antistites Ecclesiæ multa separatim à præceptis divinis pro rationabili fidelium directione sicuti hodie solet summus Pontifex & Episcopi statuerunt. Ita præter Canones

Aposto-

Apostolorum exemplum est in Epistola prima Pauli *ad Timo. c. 3. & ad Titum c. 1.* ubi Apostolus prohibuit ordinari Episcopum, vel Presbyterum, qui sit *bigamus, criminosus, percussor &c.* tamen id solum pro lege Ecclesiastica agnoscitur, & ideò in bigamia summus Pontifex, in criminibus non valde enormibus post peractam pœnitentiam aliquando Episcopus dispensare potest *c. at si Clerici §. de adulteriis de judiciis Hen. Zoë. ad tit de bigamis non ordinand. n. 14.*

7 Lex *humana positiva* describi potest, quod sit, *recta agendorum ratio à publica potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuò obligandi*, dividitur in *ecclesiasticam & secularem*, illa à potestate Ecclesiastica, hæc à Magistratu sæculari descendit. Utraque subdividitur in *generalem & particularem*; *generalis*, quæ ordinario nomine Legis vel Canonis appellatur, est illa, quæ à summo Pontifice vel Principe ecclesiastici vel sæcularis status lata universim in tota Eccle-

sia

clesia Catholica vel toto Imperio obligat: *particularis* verò, quæ communiter statutum vocari solet, ab inferioribus Episcopis aut Prælatis vel Principibus superiorem recognoscentibus promanat.

Dixi I. Legem esse, *rectam agendorum rationem*; quibus verbis causa materialis & finalis legum insinuatur, *erit enim Lex*, ait iterum Isidorus *in c. 2. dist. 4. honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem loco temporique conveniens, necessaria, utilis, nullo private commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* In dubio autem si de manifesta legis iniustitia non constet, sicut aliàs mandatum superioris præsumitur justum, ita etiam à subditis lex justa censeri debet, licet fortassis aliquæ rationes in contrarium opponi possent, cogitandum enim à prudente legislatore inter diversa rationum momenta ad tollendam ambiguitatem & disputationis materiam illa selecta fuisse, quæ pro Repu- 8

blica

blica utiliora visa sunt, *cor enim Regis in manu Dei est*, & per *sapientiam divinam Reges regnant*; & *legum Conditores justa decernunt. Prov.* 8. Unde & August. *in c. in istis dist.* 4. *in istis temporalibus legibus*, inquit, *de illis homines judicant, cum eas instituunt, cum autem fuerint institutæ, non licebit Iudici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*, adde textum *in L. non omnium. cum L. seq. ff. de Legibus.*

Dixi II. à *publicâ potestate*, ex quo causa *efficiens* legum colligitur, nam in statu Ecclesiastico, & circa spiritualia ac ecclesiastica negotia nunquam potestas legem ferendi penes privatos & populum fuit: in statu autem sæculari & veteri Imperio Romano populus quidem auctoritatem leges & plebisscita faciendi habebat *c.* 1. & 2. *dist.* 2. *L. de quibus. ff. d. LL.* postquàm verò populus sibi Reges, & Imperatores constituit omnem illam auctoritatem à se abdicavit & Lege Regia in Principes suos transtulit, *L.* 1. *ff. de constit. Principum.*

Dixi

Dixi III. *cum voluntate eos obligandi*, quibus verbis *forma & effectus* legum denotatur. Ad formam enim legis pertinet, ut Legislator per apta verba declaret mentem suam, quod non tantùm consulendo, vel suadendo aliquid dicat (quale consilium necessariam obligationem non habet, nec transgressores eius regulariter peccatum vel pœnam incurrunt) sed jubendo & præcipiendo, & ita quidem clarè, ne Lex per obscuritatem captionem aliquam contineat *d. c. 2. dist. 4.* Cùm autem circa causas præsertim *materialem & efficientem* plura adhuc notatu digna occurrant, sit

§. II.

De causa materiali & efficiente legum.

SUMMARIA.

1. *Quales actus virtutum possint per legem præcipi.*
2. *Quæ possint prohiberi.*

3. *Quan-*

3. *Quandoque etiam iniusta permittuntur.*
4. *Lex prohibitoria habet saltem pœnam arbitrariam.*
5. *Quædam delicta mixti fori.*
6. *Actus interni & occulti qualiter possint esse materia legum.*
7. *De causa efficiente legum.*
8. *S. Pontif circa salutem animæ Legislator universalis, & ibi de necessitate capitis visibilis.*
9. *De Legibus Conciliorum.*
10. *Quare non detur potestas Episcopis statuendi contra Ius Com. Eccles. & tamen valeat consuetudo &c.*
11. *De statutis Legatorum.*
12. *De statutis Capitulorum sede vacante, eorumque revocatione.*
13. *De statutis & reformationibus Ordinum Regularium.*

CUm legis virtus sit *imperare, vetare, permittere & punire* teste Jurisconsult. *in l. 7. ff. de LL.* ideò legum debet esse *materia*, quæ justè *imperetur, prohibeatur vel permittatur.*

1 Possunt igitur inprimis præter actus justitiæ & ut suum cuique reddatur, etiam opera aliarum virtutum,

tum, ut temperantiæ, continentiæ Religionis &c. & quæ ad has virtutes consequendas tanquam media sunt, ut certarum dierum jejunium, decens in vestitu incessus, concionum & Missarum frequentatio, *imperari* & *præcipi*, dummodo virtutes non sint tales, quarum sectatio populo sit nimis ardua, & difficilis, pro ut forent actus consiliorum Evangelicorum, nimirum paupertas, cælibatus &c. hæc enim, licet ex post facto rectè præcipiantur illis, qui ad eorum observationem se prius per votum, aut per professionem religiosam voluntariè obligârunt, universaliter tamen & ante spontaneam obligationem rationabiliter præcipi non possent.

Ex adverso *prohibitoriæ* legis materia sunt omnia illa, quæ justitiæ aliisque virtutibus, quarum observatio Reipublicæ utilis & facilis est, contrariantur, nec interest, an jam prius lege divina, aut naturali similes actus præcepti vel prohibiti existant, nihil enim impedit, quin idem actus

pro meliori juris divini aut naturalis observatione, vel declaratione, jure insuper humano contineatur.

4 *Permitti* per leges possunt ea, quæ justa, quæ honesta sunt. Imò etiam aliquando injusta & inhonesta ad evitationem maioris mali, si utrumque in Republica post omnem possibilem diligentiam nequeat evitari, non quidem approbando minus malum tanquam licitum, sed dissimulando eius pœnam. Ita multi existimant *Deu. 23.* concessum fuisse Judæis exercere usuras cum extraneis, ne cum suis fratribus exercerent, ita ad præcavenda maiora & atrociora carnis delicta apud quasdam calidiores nationes, minora ut fornicationes tolerantur, & exempla sunt *Genes. 19.* & *Iudicum 19.* textus quoque notabiles *in c. 1. & 2. dist. 13. c. 12. 32. q. 7.*

5 *Puniunt* demùm leges malefactores in Republica. Et si lex simpliciter aliquid prohibeat, quamvis pœnam determinatam non addat, eius tamen violator Judicis prudentis arbitrio punie-

punietur, frustra enim leges prohitoriæ conderentur, nisi malefactores formidine pœnæ coercerentur.

Sunt autem quædam delicta *mixti fori* quibus tam â jure Canonico quam Civili certæ vel arbitrariæ pœnæ præstitutæ sunt. Et in his inter Judicem Ecclesiasticum & sæcularem locus est præventioni: ita tamen, ut in maioribus criminibus, in quibus jure Canonico pœna plerùmque potius *medicinalis*, quam *vindicativa* infligitur, punitus in foro Ecclesiastico adhuc ad terrorem malis hominibus incutiendum in foro sæculari puniri possit. *c. 2. de maledicis. c. felicis vers. per hoc quoque de pœnis in 6. l. placet. C. de SS. Eccl.* De consuetudine in enormibus criminibus circa Laicos Ecclesia ordinariè totam punitionem Iudici sæculari relinquit. plura de punitione delictorum in lib. 5. decretalium atq; in tit. de pœnis traduntur. 5

Difficilis est quæstio, an & qualiter actus *interni* vel *occulti* hominis 6

materia legũ humanarũ esse possint? Etenim *in l.* 18. *ff. de pœnis in c. cogitationis de pœnit. dist.* 1. dicitur, quod *cogitationis pœnam* (intellige in foro externo) *nemo patiatur* In *c. sicut c. tua nos. de simonia* in *Trid. sess.* 24. *de refor. matr. c.* 1. habetur, quod *Ecclesia de occultis non judicet*, ita in li. §. decretalium docuimus, simoniacum, hæreticum, vel usurarium *purè mentalem* pœnas juris non incurrere? Econtra in *c. dolentes de celeb. Miss.* præcipit Pontifex, ut officium divinum â Clericis *devotè* recitetur, *devotio* autem & *elevatio mentis* ad Deum actus utiquè *internus* est. similiter in *Clem.* 1. §. *verum*, *de hæret.* excommunicatio statuitur in eos, qui ex odio, gratia, vel auaritia omittunt inquisitionem contra hæreticos, cum tamen odium gratia vel avaritia actus plerumquè *interni & occulti* sint. item in Concilio Trid. *sess.* 24. *de refor. c.* 6. privilegium datur Episcopis, ut possint absolvere â censuris & irregularitatibus ex delictis *occultis*

pro-

provenientibus. demùm quis neget, peccaturũ contra præceptum Ecclesiæ, qui diebus jejunii clam & nemine vidente comederet carnes, Clericum, qui occultè omitteret recitare divinum officium &c. aliàs haud dubiè futurum, ut subditi obedirent suis superioribus ad oculos, & privatim omnia mandata ecclesiastica & sæcularia violarent.

In hac celebri quæstione utendum est distinctione, nam alii sunt actus *merè interni & per se* occulti, qui in solo animo & cogitatione mentis consistunt, atq; hi ordinariè soli Deo subjecti sunt, humanum autem judicium eos cognoscere nõ potest, consequenter nec præcipere nec punire, quo faciunt exempla de simoniacis, hæreticis, & usurariis purè mentalibus. alii sunt *externi*, qui præter animi cogitationem etiam ad opus vel actum externum processerunt, & hi licet sint *per accidens* occulti, quia secretò facti testibus vel aliis documentis probari non possunt, subjacent

tamen jurisdictioni & potestati legislativæ, quamvis ex defectu probationis aliquando per accidens judicium humanum effugiant. Sic si Episcopus censuram ferat, ut *quisquis furtum sacrilegum fecerit, excommunicationem incurrat*, in hanc censuram incidet, qui etiam nemine videnti furatus fuerit. Pariter qui libros hæreticos clam legerit excommunicationem Bullæ cœnæ incurret: tametsi interim tales in judicio externo ob defectum probationis puniri non possint, quod per accidens contingit. Alii denique sunt actus *mixti* partim externi, partim interni, in quibus præter actū externum etiam interna animi præparatio sive intentio concurrit, & ad operis externi moralem perfectionem, & substantiam necessaria est, ut in Sacramentorum administratione, perceptione, & celebratione divini officii &c. propterea si Ecclesia præcipere potest opus externum v. g. celebrationem Missæ, Sacramentorum administrationem &

per-

perceptionem &c. potest etiam saltem *indirectè* præcipere id, quod est necessariò connexum, & sine quo opus externum *validè & rectè* non perficitur, ut devotionem, intentionem consecrandi, contritionem &c. *de connexis enim idem judicium*, & homo non tantùm quo ad directionem corporaliũ & materialiũ externarũ actionũ, sed etiã quo ad directionẽ animæ superioribus subjectus est juxra illud Apostoli *ad Romanos* 13. *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & paulò post, *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram* (scilicet Judicis externi) *sed etiam propter conscientiam &c. & ad Hebr.* 13. *ipsi*, superiores, *pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Præterea sicuti lex præcipere potest actum internum concomitanter cum externo, ita etiam actum malum internum punire valet, quatenus operi externo connexus est, quo sensu interpretandus est textus *in dicta Clemen.* 1. §. *verũ de hæreticis.* & exemplum in Ju-

re Civili est ex tit. *de iniuriis*, ubi tunc demùm injuria punitur, si *ex animo & intentione injuriandi* processerit, *l. si non convitii 5. C. de iniuriis.* Causa efficiens legum humanarum, ut jam in priori §. insinuatum, publica poreſtas est, quæ in statu ecclesiastico penes summum Pontificem, & reliquos Prælatos, in statu sæculari penes Imperatorem & alios Principes ac Dominos residet, ita tamen, ut quilibet Legislator pro modo tantùm & termino suæ jurisdictionis legem ferre possit *extra territorium enim & supra jurisdictionem suam jus dicenti impunè non paretur l. ultima ff. de iurisdictione.*

7 *Summus Pontifex* in materia spirituali & concernente salutem animæ ac rectam Ecclesiæ gubernationem in toto orbe Christiano legem ferre potest, quia ipsi omnium suarum ovium curam in beato Petro Christus commisit *Matth.* 16. Caput enim visibile in Ecclesia esse debere constanter hactenùs obtinuit, ita enim fuit in

Syna

Synagoga Judaica (quæ erat figura Ecclesiæ) *summus Sacerdos*. ita ante ascensionem Christi, ipse Christus, postea Petrus & successores eius, ut quidquid in contrarium pugnent & pugnárint hæretici, tamen reverà *nec portæ inferi* juxta promissionem Christi *d. c.* 16. potuerint *prævalere*. quis namque dirigat oves errantes, quis interpretetur genuinum S. Scripturæ sensum ab hæreticis toties discerptum & perversè expositum, quis reparet lapsos, si pastor visibilis non est? hinc fit, quòd hæretici potestati Ecclesiasticæ, & Dei ordinationi resistentes *ad Rom.* 13. infinitas sectas & errores habeant, & quisque sibi fingat fidem secundum pessimá proprii cordis concupiscentiam 1. *ad Tim.* 1. & 6. & 2. *ad Tim.* 3. Porrò etiam hæretici quàmvis de facto resistant, de jure tamen lege Pontificia obligantur; non item judæi & gentiles, nisi quatenus illa lex jus divinum vel naturale contineret, ex ea differentiæ ratione, quod hæretici per Baptis-

mum

mum in Ecclesiam ingressi eius subditi licet rebelles effecti sint, unde etiam ad fidem Ecclesiæ Catholicæ suscipiendam sicuti rebelles subditi ad obedientiam compelli possunt, secus verò Judæi & gentiles, quibus nunquam per januam Baptismi in Ecclesiam ingressis rectè accommodatur illud Apostoli *ad Corin. 5. quid mihi de iis, qui foris sunt* (id est extra Ecclesiã) *iudicare, nam eos Deus iudicabit &c.*

9 Cæterum quod de summo Pontifice, etiam de *Conciliis generalibus Oecumenicis* sentiendum est, nam & his jurisdictio in totam Ecclesiam & omnes Christianos competit, neq; aliter legitima sunt, quam si authoritate Romani Pontificis congregentur & confirmentur *c. significasti 4. de electione.* Alia sunt Concilia *Provincialia*, quæ Archiepiscopi unacum suis suffraganeis in suis Provinciis instituunt. alia *Diœcesana* vel *synodalia*, quæ Episcopi celebrant in suis Diœcesibus. Et hæc quidem potestatem leges & statuta condendi habent,

habent, sicut ipsi Archiepiscopi & Episcopi, sed ita, ut eorum jus & obligatio ultra terminos Provinciæ, aut Diœcesis non extendatur: adeò ut tam etsi in Decreto Gratiani quidam Canones ex aliquo Concilio provinciali vel diœcesano allegentur, eos tamen non esse universaliter obligatorios, omnes illi adnotârint, qui nobiscum docent, Decretum Grati: ad primævam suam authoritatem revocari: Deinde etiam advertendum est, quod inferiores Prælati nec soli nec in Conciliis suis sine licentia summi Pontificis aliquid statuere valeant contra jus commune Canonicum. Inferior enim legem superioris abrogare non potest, & condere ac tollere legem, ab eadem potestate procedunt *Clem. ne Romani in princ. de electione.* Circa ea proinde solùm leges ferre possunt, quæ ad reformationem morum, vel cultum divinum pertinent, aut quæ â iure communi apertè decisa non sunt. Non obstat vulgare dictum, quòd Episcopus in

suâ Diœcesi possit ea, quæ Pontifex in tota Ecclesia: quia id universaliter concedendum non est, sed cum dependentia & subordinatione ad Papam tanquam Superiorem, & salvis illis, quæ summo Pontifici specialiter reservata sunt. Nam Ecclesia Romana, quæ prima est, & Diœceses ac Episcopatus inferiores divisit, ita reliquis Ecclesiis, earumque Prælatis vices suas largita est, ut in partem vocaret solicitudinis, non in plenitudinem potestatis *c. qui se 12. causa 2. q. 6.*

10 Quærit ad propositum huius loci Panormi: *in c. ult. de consuet. n. 9.* quare Imperator potius Principibus sæcularibus concedere soleat, ut in suis terris possint facere statuta contra jus commune Civile, quam Pontifex Episcopis? Item quare in aliqua Diœcesi possit introduci consuetudo contra jus commune Canonicum, & non etiam statutum? Responderi potest ad primum, quia maius est periculum in abrogatione Juris

tis Communis Ecclesiastici, hoc enim cum principaliter ordinetur ad finem salutis æternæ timendum foret, ne forsan cum periculo animarum erraret Episcopus, dum contra S. Pontificis Christi vicarii & Pastoris universalis judicium & legem suo arbitrio statuere permitteretur. Jus autem sæculare ordinatur principaliter ad statum externum politicum, quem inferiores Principes possunt secundum naturam & mores singularum nationem sine gravi periculo facilius dirigere. Quod si etiam lex communis ecclesiastica non possit certo populo cum fructu accommodari S. Pontifex ea de re informandus est, atque eius desuper cognitio, & mutatio vel remissio legis exspectanda. Responderi potest ad secundum cum cod Panormi: quod consuetudo, si sit tamen rationabilis, habeat tacitum consensum summi Pontificis, rationabiles enim consuetudines tolerantur *ex tot tit. de Consuet.* quem consensum §. Pontifex potius (saltem per mo-

dum

dum dissimulationis) factis rationabilibus hominum impendit, quam statutis Episcoporum, eò quòd uti potestate legislativa contra Papalia decreta etiam ex causa rationabili videatur sapere aliquam ambitionem, quæ successivè aperit viam ad plures inobedientias. Addi etiam potest, quòd plerumque difficilius sit impedire consuetudinem, quæ ex diuturno tempore & inveteratis moribus processit, quam statutum vel legem particularem.

11 *Legati Sedis* Apostolicæ etiam statuta facere possunt in provinciis & locis suæ legationis, quæ durant etiam post officium eorum finitum *c. ult. de officio Legati.*

12 *Capitula Cathedralium Ecclesiarum* sede Episcopali vacante etiam statuta & constitutiones facere possunt, quia succedunt in iurisdictionem Episcopi, ex qua dimanat potestas statuendi, & illa statuta etiam durant in tempus futuri Episcopi. quamvis enim jurisdictio Capituli sit tantùm tempo-

temporalis, quàmdiu sedes vacat, quod tamen ex ea rectè gestum est, perpetuum haberi debet *arg. c. fi. de officio Legati. & c. factum legitimè de R.I. in 6.* Sed Capitulum sede vacante potest quidem statuere circa ea, in quibus tunc habet jurisdictionem, ut circa negotia ipsum Capitulum concernentia circa reformationem morum, causas judiciales &c. non verò circa talia, per quæ præjudicetur juri, authoritati vel reditibus succesturi Episcopi, ut si vellet statuere quod *Charitativum* subsidium totum, vel pro parte minueretur, quod reditus Episcopales essent inter capitulares distribuendi &c. nam in personam Episcopi eiusq; jura & reditus Capitulum nullam habet jurisdictionem, consequenter in iis statuere nihil potest. Episcopus quoque successor potest ex causa rationabili statuta à Capitulo sede vacante facta revocare non secùs ac alia statuta suorum Antecessorum, quia Capitulum vel Antecessor non potest Episcopo succes-

sori

fori legem perpetuam præfigere, *cum par in parem non habeat imperium* aut jurisdictionem c. *innotuit* 40. *de electione* videatur Quara. *in summa bull. verbo Capitulum sede vacante Frid. de sen. Cons.* 16. & Pavin. *in speciali tractatu, de potestate Cap. sede vacante.*

Aliquando autem Capitulares sede vacante speciali pacto aut juramento se obligant, ut quisquis in Episcopum eligendus fuerit, certa statuta inviolabiliter observare debeat: quæ pacta aut juramenta obligant novum Episcopum ad præstationem fidei interpositæ, nisi forent manifestè in præjudicium Canonum vel Ecclesiæ, vel animarum, vel dignitatis Episcopalis c. *ult. de pactis.* textus ad propositum notabilis ubi Panorm. & Barb. *in c sicut nostris* 27. *de jurejurando.*

13 *Ordines etiam Religiosi* eorumque *Prælati* leges & statuta facere possunt iuxta consuetudines suas, privilegia & modum suæ Regulæ. Utrum autem Religiosi teneantur semper ac

ceptan

ceptare nova statuta Reformatoria? Respondeo esse distinquendum, an tales reformationes sint contra pravas consuetudines, quæ tendunt ad dissolutionem disciplinæ monasticæ, violationem votorum, & scandalum aliorum hominum; & haud dubiè dicendũ est, Religiosos teneri, ac compelli posse ad necessarias istas reformationes acceptandas, quæ tamen primam regulam duriorem non constituant *c. relatum & ibi Glos. ne Clerici vel Monachi c. 1, de regularibus in 6.* An verò reformationes fiant contra consuetudines, & mitigationes rationabiles, quæ primævum regulæ rigorem iuxta patriæ & hominum naturam citra animarum periculum temperarunt v. g. quod matutinum oretur de mane, quòd liceat carnibus vesci &c. & probabilius videtur, quod Religiosi similem reformationem acceptare non teneantur, quamvis enim simpliciter professionem fecerint secundum regulam, tamen nec in noviciatu experientia, nec in

pro-

professione intentio fuit aliter se obligandi quam ad regulam iuxta præsentem usum rationabiliter mitigatam. neque enim perfectio religiosi hominis in maximo rigore & vitæ austeritate consistit, quam multi sine corporis & etiam frequenter animæ ac desperationis periculo ferre non possent, sed in perfecto amore Dei, & in *declinando â malo* ac *faciendo bonum*, ad quod assequendum etiam in ordine mitigatiore sufficientissima media sunt, & considerandum, quod sæpè primi regulæ fundatores certæ nationi & terræ, ubi vixerunt, regularia statuta accommodârint quæ alibi ob diversam terræ & hominum naturam utiliter observari non possunt. Si quis verò aliter, quàm per austeritatem se minimè perfectionem consecuturum credat, is vel rigorosas sui mortificationes voluntariè & privatim suscipere, vel secundum *c. licet* 18. *de regularibus.* etiam post professionem ad alium strictiorem Ordinem transire valebit.

Cer

Conventus & Capitula Regularium ac collegiatarum Ecclesiarum sede vacante, quia regulariter non succedunt in iurisdictionem mortui Prælati, sed Episcopus vel alius Ordinarius eorum superior, ideò sine huius consensu statuere nihil possunt, nisi speciali privilegio aut consuetudine aliud obtentum foret.

§. III.

De obligatione legum in utroque foro.

SUMMARIA.

1. *An Legislator teneatur suis legibus?*
2. *An & quatenus peregrini teneantur legibus loci transitus?*
3. *Particularibus statutis probabiliter non obligantur; exceptis certis casibus.*
4. *Resolvuntur contraria.*
5. *An peregrini teneantur alibi legibus domesticis?*
6. *Clerici quatenus teneantur legibus Laicorum.*
7. *Lex justa in foro externo, est etiam justa in interno.*

8. *Ex-*

8. *Excipitur, nisi sit fundata in præsumptione.*
9. *Vel merè pœnalis.*
10. *Leges tributorum & vectigalium an obligent in Conscientia.*
11. *Examinatur prolixè, an & quando leges infirmantes actus inter vivos, vel ultimarum voluntatum locum habeant in conscientia.*
12. *Potissima difficultas, quando irritatio sit ob defectum solennitatum.*
13. *Quo sensu soluta per errorem ex testamento non solenni repeti nequeant.*

1 QUæritur I. utrum Princeps vel legislator ipsemet sua lege obligetur? pro negativa est textus *in l. Princeps ff. de legibus.* ubi dicitur, *Principem legibus solutum esse*, & facit ratio, quod leges ferantur & dirigantur in subditos, non in legislatorem *sibi enim imperare nemo potest* teste juris Cons. *in l. penult ff. de recept. arb.* & sicut aliàs *nec par in parem* ita nec quisquam *in se ipsum* habere iurisdictionem videtur. Econtra pro affirmativa adducitur *L. digna vox C. de LL.* ubi Imperatores rescripserunt, *digni*

esse vocem maiestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, & maius imperio esse, submittere legibus principatum. Isidorus quoque *in c. iustum dist. 9. iustum est.* inquit, *Principem legibus obtemperare suis, tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse eis reverentiam præbet.* & *in l. ex imperfecto 23. de leg. 3. ex imperfecto testamento* ait Paulus Iuris Cons. *legata Imperatorem vindicare inverecundum est, decet enim tantam maiestatem, eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur.*

In hac q. respondeo & dico, Princeps & Legislator simpliciter obligatur illis legibus, quæ continent ius *divinum* aut *naturale*, quia hæc iura, cum à Deo Authore naturæ procedant, supra Principem sunt, quamvis ab eo populo proposita & declarata. Unde quin Princeps suo contractui vel pacto stare debeat, non eximitur per plenitudinem potestatis suæ propter consensum præstitum qui iure naturæ servandus est *l. 1. ff.*

de

de pactis And. Gail. pract. obser. libr. 2. *obser.* 55. *n.* 7. Dico 2. in legibus *mere positivis* humanis sive civilibus sive Ecclesiasticis, quædam sunt, quæ propriè tantùm ad populum ferun-tur & Principis sive Legislatoris per-sonam propter eius eminentiam, aut aliam specialem rationem non con-cernunt, & hæc sine dubio Principem non obligant, ut si prohibeatur po-pulo armorum aut vestium nimis pretiosarum gestatio &c. & exem-plum esse potest *in l. sancimus C. de donationibus* ubi prohibetur donatio *ultra quingentos solidos* sive aureos fi-eri sine insinuatione apud Magistra-tum, excipitur autem ibidem donatio à Principe facta.

Dico 3. in legibus merè positivis, quarum observatio æquè Principem decet ac populum, uti est frumenti & aliarum mercium taxatio, solem-nitates actuum inter vivos & ultima-rum voluntatum, ieiunium eccleśia-sticum, confessio annua &c. commu-nis est DD. distinctio inter vim *Co-*

ctiva

ctivam & directivam, ita ut Princeps vel alius Legislator *vi coactiva* non teneatur stare suis legibus, cum nemo sit, qui eum cogat, & is potestatem mutandi, vel abrogandi legem habeat, teneatur autem (nisi habeat rationabilem causam excusantem) *vi directivâ*, hoc est, non ex vi iurisdictionis propriè dictæ, quam in se ipsum nemo propriè exercet, sed ex dictamine & directione rectæ rationis, qua se Princeps tanquam caput & membrum principale toti corpori communitatis conformat. nam teste Augustin. *in c. quæ contra dist. 8. turpis est omnis pars suo universo non congruens*, & ne etiam à populo facilè violentur leges, si ipse Legislator omnium primus in easdem committat. minor tamen culpa est & sæpe cessante scandalo tantum venialis, si Legislator contra suam legem veniat, quàm si populus, quia ille tantùm ex congruentia, hic autem etiam ex obedientia ad servandas leges obligatur.

Quæ-

2 Quæritur 2. utrum peregrini & viatores obligentur legibus illius loci, per quem transeunt, si non ibidem intendant habitare? Si de legibus *iuris divini aut naturæ* loquamur res dubio caret, quia istæ leges ubique terrarum obligant. Idem est, si loquamur de *legibus humanis* juris communis, nam & his peregrini in omnibus locis obligantur, in quibus illæ leges vigent & observantur, quia istarum legum communium subditi sunt. Imo si ponamus aliquam legem juris communis in Patria non observari, sed observari in loco peregrinationis, pet quem aliquis transit, tenebitur peregrinus ad huius loci observationem, quia consuetudo contra ius commune, cum sit odiosa, restringitur ad locum, & extra eum non extenditur, sicut statutum vel aliud privilegium locale arg. *c. 2. hoc tit. in 6.* unde licet in Hispania moris sit diebus sabbathinis comedere intestina animalium, si tamen Hispanus per alias Regiones transe-

at

at, eum ad abstinentiam â iure communi Ecclesiastico præscriptam sub peccato teneri cum plerisque DD. docet Navar. *in Man. Confess. c.* 23. *n.* 120. *& Paulus Lay. de legibus c.* 12. *n.* 12. non obstat, quòd absens modico tempore fictione iuris reputari soleat, pro præsenti in illo loco, â quo abest, & consequenter etiam illius loci privilegiis & consuetudinibus gaudere possit, sicut in contrarium argumentatur Sanch. *de matrim. libro* 3. *disp.* 18. *n.* 7. quia illa fictio juris non procedit in omnibus, sed in certis tantum casibus in jure expressis, ut si Canonici vel Beneficiati â residentia suorum beneficiorum modico tempore absint *juxta Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 1. aliàs etiam procederet in casu *dicti c.* 2. & excommunicatione per statutum Episcopi lata teneretur, qui extra Diœcesim eius modico tempore existens delinqueret: item à sæcularibus Judicibus capi non posset, qui malefactor extra Ecclesiam immunitate locali gaudentem

dentem mox reversurus exiret, quod certè contra communem doctrinam & praxim est. Interim licet hæc sententia Navari & aliorum ordinariè maximè ad evitationem scandali tutior sit, propter authoritatem tamen Sanch. & aliorum virorum DD. qui eum sequuntur, non auderem semper alicuius gravis peccati damnare eum qui contrariam teneret, præsertim rationabili aliqua causa v. g. conservandæ valetudinis accedente, & remoto scandalo, ut si Germanus tempore quadragesimæ in Italia privatim comederet ova, caseum, & alia lacticinia, quæ prohibentur *in c. denique, vers. par autem dist.* 4. potissima igitur difficultas quæstionis nostræ est de legibus & statutis particularibus locorum. Respondeo probabiliorem esse sententiam, quam præ cæteris diligenter examinat, & sequitur Sanch: *d. disp.* 18. *q.* 1. peregrinos & forenses non obligari particularibus statutis vel consuetudinibus loci, in quo per modum hospitii

3

rep

reperiuntur. Ratio est: ubi deficit ordinaria jurisdictio, deficit legum obligatio, quæ jurisdictionem supponit, sed in peregrinos ob brevem hospitii moram deficit ordinaria jurisdictio *arg. l. hæres absens. ff. de judiciis*, ergo &c. Attamen hæc regulariter procedunt, nam ab hac regula aliquot casus excipiuntur, ut primò si ex transgressione legum loci alius detur scandalum, quod tamen scandalum plerumque evitari potest, inquit Sanch. *c. l.* vel transgrediendo occultè, vel admonendo adstantes se legibus loci ex communiori DD. sententia adstrictum non esse. 2. si mora in aliquo loco sit longior, usus communis docet, tales peregrinos debere se accommodare legibus & consuetudinibus loci præsertim in rebus spiritualibus, ut observatione festorum, jejuniorum &c. tum quod id exigat quies Reipublicæ, quæ alias ex diversis hominum moribus perturbatur, tum quod habitatores ad tempus longius in aliquo loco ibidē

quasi domicilium & forum competens sortiantur.

Quantum autem tempus requiratur ad hanc obligationem DD. inter se non conveniunt, mihi videtur probabilius maximè circa leges ecclesiasticas, quod cum Navar. *in tract. de jubil. not.* 32. *n.* 43. docet Laym. *d. l. n.* 1. sufficere, quod aliquis non merè tanquam Viator mox pertransiens in loco sit, sed ibidem certo permanendi proposito etiam ad breve tempus aliquot v. g. septimanarum aut mensium alicuius negotiationis causâ habitationem aliquâ fixerit vel conduxerit *d. l. hæres absens. §. proinde ff. de judiciis*, & tunc statim aut prima die qua cum hoc proposito habitationem sibi constituit tenebitur; nam sicut ad *verum*, ita etiam ad *quasi* domicilium constituendũ & sequentem obligationem ac fori competentiam inducendam nullius certi temporis lapsus, sed *animus* tantùm habitandi & *factum* ipsum habitationis inchoatæ requiritur, ut ex *l. domicilium*

20. *ff.*

20.ff. ad municipalem. in materia de foro compet. tradidimus. 3. contractum aliorumq; actuũ solemnitates etiam â forensibus instituendæ regulantur secundum leges loci ubi celebrantur l. si fundus. ff. de evictionibus. l. 2. quem adm. testam. aper. l. 1. C. de emancip. liber. 4. ob bonum publicũ & ad evitandũ damnum possunt viatores certis legibus constringi v.g, ut solvant vectigalia, ne frumentũ aut arma vel armorũ materiam extrahant, ne ultra triduũ in loco cõmorentur &c. hæc exceptio passim quidem à DD. traditur, sed quare vel quomodo in hoc casu jurisdictio in viatores detur, nõ assignant: forsan ista ratio non incongruè statuĩ potest, quòd jure naturæ & gentium teneatur aliquis evitare alterius damnum, & qui sentit commodum transitus, sentire etiam debet onus legum pro bono publico introductarum, item quia transitus non aliter â Magistratu conceditur, quam sub conditione observandarum talium legum, hinc qui transire volunt ipso

facto in se prorogant, & agnoscunt Magistratus jurisdictionem *arg. l. 1. ff. de judiciis*, accedit etiam consuetudo locorum, quæ dare potest in multis casibus jurisdictionem *c. dilecti, de arbitris*. Quintam exceptionem aliqui addunt in *vagis hominibus* nullum certum domicilium habentibus, sed hos non improbabiliter excusat Less. *libro* 4. *c.* 2. *n.* 49. ex eadem ratione, qua alios peregrinos, quòd scilicet non sint propriè subditi illius loci, quem transeunt, & non sit in eos jurisdictio nisi ex causa *delicti* vel *debiti*, propter quod ubique in jus trahi possunt ob publicam utilitatem, ne à delicto impunes, vel à solutione immunes evadant.

4 Porrò contra datam responsionem ad principalem quæstionem, contrariæ sententiæ authores, quibus absolutè placet, peregrinos omnibus legibus loci adstringi, plura argumenta opponunt, quæ Sanch. *disp.* 18. *n.* 4. adducit & *n.* 16. resolvit, ex quibus duo tantùm principaliora referã: Primũ

est ex c. illæ. dist. 12. ibi: *cum Romã venio sabbathũ jejuno cum Mediolani sum, non jejunio sic & tu ad quamcunque Ecclesiam veneris, eius morem serva.* Respondetur hunc textũ in primis esse SS. Patrum Augustt. & Ambros. quorum authoritas magna quidẽ est, sed non semper *decisiva*, ut dixi alibi & textus est notabilis *in c. 5. dist. 9.* vel posse explicari, ut contineat consilium non præceptum, quatenus scilicet utiliter tanquam opus bonum suaderi potest hominibus, ut secundum particulares leges loci festum aut jejunium observent, non imperari vel intelligi, de casu conjuncto cum scandalo, vel quo aliquis moram longiorem in aliquo loco trahit. Secundum argumentum sumitur ab instantia, quod nimirum peregrinus Sacerdos, si veniat ad locũ interdictũ, non possit ibidem divina celebrare, aut mortuus sepeliri, ergo sequitur, quod leges loci obligent etiã peregrinos. Respondeo negando consequens, quia antecedens non provenit ex directa obligatione

interdicti respectu peregrinorum, sed ex incapacitate ipsius loci, qui tali interdicto directè affectus est, quâ de causa ne quidem infantes vel amentes (qui tamen interdicti & censuræ incapaces sunt) in loco interdicto sepeliri non possunt teste *Cov. in c. Alma mater. de sent. excom. in 6. p. 2. §. 4. n. 6.* reliqua argumenta pleraque dissolvuntur per exceptiones supra positas, ut de illis casibus exceptis explicentur.

5 Quæritur 3. an peregrini teneantur legibus domesticis suæ Patriæ quamdiu in externis locis versantur? Respondeo negativè, quia statuta particularia etiam respectu subditorum non extenduntur ultra territoriũ statuentis *c. 2. hoc tit. in 6. l. fi. de jurisd.* quare non peccabit, qui festũ aut jejunium in sua Patria ab Episcopo statutum alibi non servat, ubi festum aut jejunium secundum jus commune non est, nec incurret censuram Episcopi per statutum latam qui extra Diœcesim delinquit.

Dico

Dico si censura *per statutum* lata sit, nam specialiter *per sententiam* in personam lata subditum etiam extra territorium stringit ut in titulo de sententia excommunicationis explicavi. Exceptio est nisi statuti transgressio vergat in detrimentum vel injuriam loci v. g. si statutum sit, ne quis verba injuriosa contra Principem vel Magistratum sub certa pœna loquatur &c. *arg. l. ult. ff. de decret. ab ord. faciend.* qua ratione etiam statutum, quod Clerici absentes certo anni tempore ad synodum vel Ecclesiam comparere debeant, sustinetur *c. ex tuæ de Clericis non resid.* cum enim quilibet civis & incola naturali quadam æquitate teneatur defendere commodum suæ Patriæ, honorem sui Magistratus, hinc est, quod ad eum finem legibus rectè constringi valeat, tametsi extra Patriam existat. Sed quid si jus commune in Patria observetur, in loco autem transitus contrariâ consuetudine abrogatum sit? etiam

am hoc casu peregrinum, quamdiu in tali loco vivit, non teneri ad observationem juris communis, cum aliis tradit Sanch. *d. disputa.* 18. *n.* 18. *& seq.* & Suar. *libro* 2. *de festis c.* 15. *in fine*, eo quod hoc sit quasi privilegium *locale*, quo gaudent etiam advenæ & peregrini, & quilibet possit (quamvis non semper teneatur) se consuetudini locorum accommodare, unde inferunt, Germanum v. g. transeuntem per Hispaniam posse die sabbathi intestina comedere.

6 Quæritur 4. an & quatenus Clerici legibus vel statutis sæcularium Magistratuum obligentur? Respondeo regulare esse, quod sæculares Magistratus suis legibus directè obligandi clericos & personas Ecclesiasticas, vel ipsas Ecclesias potestatem non habeant. *c. Ecclesia.* 10. *hoc tit.* propter defectum jurisdictionis, â qua Clericos jure divino exemptos esse sæpius alibi probavimus, *c. nimis. de jurejur. c. quamquã. de censibus. in* 6. præsertim si in

si in specie & nominatim de Clericis disponant, quamvis in eorum favorem v. g. ne alienatio rerum Ecclesiasticarum valeat &c. *d. c. Ecclesia* nisi dispositio esset in *merum* favorem vel privilegium sine omni obligationis aut præcepti onere annexo v. g. ut Ecclesia gaudeat quadragenaria præscriptione, vel alia immunitate &c. Idque ex veriori DD. sententia extenditur, ut ne quidem circa bona patrimonialia *allodialia* (secus est de *feudalibus*, quæ non absolutè sed sub certis reservationibus & salvo jure feudali in clericos transeunt *c. ex transmissa. de foro comp.*) statutis Laicorum Clerici subjaceant. Tum quod exemplo & argumento ducto à Levitis Veteris testamenti *Exodi* 30. & *Num.* 18. Clerici non tantùm in personis, sed etiam rebus suis exempti sint *d. c. quamquam. & c. ultimo. ubi Glos notabilis in verbo suis facultatibus. de vita & ho-*

& honestat. Cleric. tum etiam, quod lex civilis non possit aliquid statuere in bona, nisi obligando simul personas ad eiusmodi statuti observationem, sed personæ Clericorum à sæcularibus obligari non possunt, ergo nec bona, quæ amplius confirmantur ex vulgatis juris regulis, quod *accessorium sequitur suum principale*, quod *quæ Religiosis adhærent, religiosa censeantur*, quod *de connexis idem sit judicium &c.* Non obstat, quod aliqua sint privilegia Ecclesiarum & eccl. siasticorum bonorum, quæ bonis patrimonialibus Clericorum non competunt, uti quadragenaria præscriptio, restitutio in integrum, & similia, non enim est bona consequentia, si privilegium unum scilicet exemptionis est communicatum bonis patrimonialibus Clericorum, ergò omnia debent esse communicata, aut è contra, si aliqua privilegia non sunt communicata, ergò nullum est communicatum: à particularibus namque ad universale regulariter non est bona illatio

illatio. sanè licet Clerici quoad suas personas indubiè exempti sint, sicut Ecclesiæ, non tamen sequitur, quod Ecclesiarum instar habeant Privilegium immunitatis localis, ut malefícos ad se confugientes semper protegere possint, quod maiorennes in judicio, vel contractu læsi in integrum restituantur.

Dixi autem Clericos regulariter & *directè* non obligari sæcularibus legibus, obligantur tamen *indirectè* communibus legibus Reipublicæ, in qua ipsi etiam tanquam membra & concives censentur, in quantum tales leges non repugnant SS. Canonibus, aut immunitati Ecclesiasticæ, quales sunt leges contractuum, taxatio mercium, restitutio ex causa læsionis sive delicti &c. est tamen hæc obligatio non ex radice sæcularis jurisdictionis, sed solùm secundùm vim directivam, quatenus tales leges in æquitate naturali fundatæ sunt, & congruentia est, ut ad communem pacem in Republica servandam omnes

inibi degentes communibus legibus utantur, item quia leges & constitutiones Principum sæcularium in defectu Canonum generaliter à summis Pontificibus recipiuntur in c. 1. *de novi oper. nuntiat.* Unde etiam secundùm vim *coactivam* Clerici à Magistratibus sæcularibus ad observationem legum sæcularium constringi, aut ob transgressionem puniri non possunt; hoc enim esset in eos directam jurisdictionem exercere. Imò etiam illas leges, quæ pœnam aliquam continent, & irritant testamenta, contractus, vel reddunt homines inhabiles ad contrahendum vel testandum ob admissum crimen, non obligare Clericos, eo quod contineant vim *coactivam*, cum communi docet Navar. *de constitut. consilio* 43 *n.* 5.

Quæritur 5. An & quando leges humanæ sive ecclesiasticæ sive civiles obligent in conscientia? Re-
7 spondeo sicut subditi tenentur in conscientia obedire suis superio-
ribus

ribus & Magistratibus tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis justa præcipientibus, ita etiamleges Ecclesiasticæ & sæculares, si sint justæ in foro externo, regulariter etiam sunt justæ, & obligantes in foro interno sive conscientiæ. *Omnis anima*, inquit Paulus *ad Roman. 13. sublimioribus potestatibus subdita sit, non est enim potestas* nisi à DEO, *itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et paulò infernus: *Iudex Dei Minister est, vindex in iram ei, qui malè agit, ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram sed etiam propter conscientiam.* Et S. Petrus *in Epistola 1. c. 2. subiecti igitur estote*, ait, *sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorū, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei &c.*

Videtur quidem circa leges civiles in contrarium obstare, quod leges sicut alii actus non agant ultra Legislatorum & agentium intentionē, arg. *c. ult.*

c. ult. de præbendis. & l. non omnis. ff. si certum petatur, sæcularium autem Legislatorum intentio non sit, ferre leges in ordine ad conscientiam, sed tantùm ad externum statum politicum. Responderi tamen potest, licet leges sæculares non semper obligent ex intentione Legislatoris secundi in conscientia, qui est Magistratus sæcularis, obligant tamen ex intentione & voluntate Legislatoris primi, qui est Deus, secundum allegata scripturæ loca, hinc S. Thomas 1. 2. q. 96. a. 4. ait: leges hominum justas habere vim obligandi in conscientia à lege æterna Dei, à quâ mediate derivantur.

8 Verùm ab hac recepta sententia, quod leges justæ in foro externo sint etiam justæ in foro interno *duæ* communiter statuuntur *exceptiones*; prima est, *si lex sit fundata in præsumptione*, tunc enim non aliter obligat in conscientia, quam si id, quod lex præsumit in rei veritate subsi-

v. g. *in Novel.* 1. *c.* 2. heres non conficiens inventarium tenetur creditoribus, ultra vires hæreditatis etiam, emergentia debita solvere, quàmvis tot & tanta bona in hereditate non invenerit, quia præsumptio juris est, quod cum non confecerit inventarium clam aliqua bona de hereditate subtraxerit, ut ex textu *dicti c.* 2. non obscurè colligitur, ibi in principio, *& non per ea, quæ fortè surripiunt, aut malignantur &c.* item in §. 2. *dabit eis pœnam exactio suæ malignitatis &c.* propterea si revera heres non conficiens inventarium nihil in hereditate *surripuerit aut malignatus* fuerit, ex communiori DD. sententia ultra vires hereditatis in conscientia non obligabitur. Licet verò aliqui existiment constitutionem Novel: fundari potius *in quasi contractu* aditæ hereditatis, quòd heres adeundo hereditatem censeatur tacitè promittere creditoribus omnibus satisfactionem, vel consequenter ex hac promissione in conscientia obligetur,

prius

prius tamen quod de præsumptione fraudis dictum probabilius videtur; eo quod omnis quasi contractus supponat intentionem se obligandi ad naturalem æquitatem, nemo autem in dubio censeri possit se velle obligare cum tam gravi suo damno, nec æquitas naturalis id suadeat. creditores quoque multum conqueri haud possunt, quia si confectum fuisset inventariũ, ipsi non plus quam in hereditate repertum, accepissent. Similiter, ut innumera alia prætereamus, quorum aliqua *ex libro 2. decretal. ex titulo de præsump.* desumi possunt, familiare exemplum est ex §. 1. *Instit. de litter. oblig.* ubi relinquens chirographum suum, in quo se debitorem fatetur per integrum biennium apud creditorem non acceptâ pecuniâ, posteà in foro externo simpliciter ad solvendum condemnatur, nec amplius cum exceptione *non numeratæ pecuniæ* auditur. Quia tamen hæc obligatio, quæ ex *solemnitate litterarum* oritur, non ha-

bet æquitatem naturalē nec consensum, nisi sub tacita conditione, si pecunia numerata fuerit, & in foro externo præsumptio sit numeratam fuisse, quod aliàs tanto tempore debitor litteras suas apud creditorem non reliquisset, ideo si veritas huius præsumptionis â parte rei non subsit, & debitor nihil acceperit, in conscientia quoque ad nihil restituendum tenebitur. Non tamen idcirco eiusmodi leges in præsumptione fundatæ in foro externo tanquam iniquæ reprobandæ sunt, quia licet in uno vel altero particulari casu ob defectum veritatis præsumptæ materialiter injustæ esse possint, formaliter tamen & in genere regulariter justæ sunt; nam ad tollendum aliquod malum vel procurandum bonum in Republica (v. g. ut in exemplis propositis heredibus malignandi & debitoribus debita injustè negandi occasio subtrahatur) leges rectè ob defectum vel difficultatem aliarum pro-

probationum in præsumptione se fundare possunt, quia & præsumptio probationis species est. Præterea etiam hic advertendum, quod ea, quæ de *præsumptione* juris dicimus, non sint pariter de *fictione juris* accipienda, nam *præsumptio* supponit veritatem, *fictio* autem etiam cognitâ falsitate aliquid certum statuit, ut propterea lex *in fictione* fundata si de cætero manifestè iniusta non sit, etiam in conscientia locum habeat. Ita Canonicus & alius Clericus de Jure communi ex legitima causa à suo beneficio absens, qui fictione Juris pro præsente habetur, optimâ conscientiâ tanquam præsens fructus sui beneficii lucratur, ita ratihabitio etiam quo ad effectus fori interni *fictione Iuris* retrahitur, & mandato æquiparatur *c.* 10. *de regulis juris in* 6. si v. g. procurator Titii sine mandato eius fundum aliquem vendiderit, quam venditionem Titius primum post annum vel biennium ratam habeat, emptor non tantum à die

die ratihabitionis, sed primæ emptionis fructus ex tali fundo perceptos in conscientia etiam suos faciet.

Altera exceptio est, quod *lex merè* 9
pœnalis ante Judicis sententiam non obliget in conscientia, post sententiam verò latam obliget ad non resistendum, & suscipiendam pœnam, cum enim lex debeat moribus & naturæ hominũ esse congrua, plerumque non foret rationabile, ut Legislator aliquem obligaret, ut sui ipsius esset accusator, reus, Judex & executor, quod naturæ admodum grave, & contrarium existeret.

Sed ad huius exceptionis plenum intellectum sciendum est, leges pœnales alias esse *merè & purè* pœnales, alias verò *mixtas*: Lex purè pœnalis est, quando legislator non intendit ad culpam vel reatum in conscientia obligare, sed tantùm ad pœnam, quod ordinariè contingit circa tales actus, qui absolutè non contrariantur juri divino aut naturali, sunt tamen contra bonos mores politicos,

& eo-

& eorum intermissio confert ad Reipublicæ statum tranquillum & pacatum conservandum; v.g. ne quis noctu sine lumine ambulet, certum vestium ornatum portet &c. sicut etiam in Religiosorum Ordinum statutis quædam censentur *merè pœnalia*, quæ ad peccatum grave non obligant (neque enim consultum, imò nec semper justum aut validum est, ut in materia leviori Prælati conscientias suorum sub gravi culpa onerent) sed tantùm ad pœnam ob meliorem disciplinæ monasticæ conservationem v. g. ne Religiosi certo tempore loquantur, opus quamvis honestum sibi tamen eo tempore non concessum faciant &c. Dices, quomodo in huiusmodi actibus vel legibus potest statui pœna, si nulla sit culpa aut peccatum, cum tamen pœna describatur esse noxæ delictorum & peccatorum vindicta ac coercitio *in l. aliud 131. in principio. & §. 1. ff. de verb. signif.* Respondetur, hic quidem non intervenire culpam vel peccatum, quod

quod significet defectum coram Deo culpabilem, intervenire tamen culpam & peccatum significans defectum in genere moris & contra laudabilem Reipublicæ ordinationem. Aliquando verò etiam accidere potest, ut transgressio legis pœnalis inducat verum peccatum coram Deo, si scilicet fiat ex contumacia & contemptuMagistratus cum aliorum scandalo vel perturbatione in Republica. Aliæ sunt leges *pœnales mixtæ*, quandoaliquid prohibetur sub culpa, & pæna; quod ut plurimùm accidit in illis delictis, quæ juri divino aut naturali adversantur, ut in furto, homicidio, & similibus, in his porrò duplex est obligatio, una ad culpam etiam in conscientia, altera ad pœnam, quæ regulariter ante Judicis & juris sententiam non obligat in conscientia, neque tenetur aliquis sui ipsius esse accusator, Judex & executor; dico autem *regulariter*, nam aliquæ pœnæ sunt, quæ ipso jure & ipso facto admissi criminis incurruntur, & ista

si *aliam*

si aliam executionem externam non requirant statim ut factum illud cui talis pœna ipso Jure annexa est committitur, in conscientia locum habent, uti sunt censuræ ecclesiasticæ & irregularitates quæ ipso facto incurruntur, inhabilitas vel impedimentum ad electionem activam vel passivam ad contrahendum matrimonium &c. Si verò pœnæ ipso Jure illatæ etiam externam aliquam executionem requirant veluti amissio dominii, confiscatio bonorum juxta *c. cum secundum leges* 19. *de hæret. in* 6. privatio beneficii aut fructuum beneficialium &c. tunc ad obligationem in conscientia producendam sententia Judicis *declaratoria* requiritur ut rectè docet Sanch. *libro* 2. *moralium c.* 6. *num.* 11. nisi lex in specie addat clausulam: alia etiam declaratione non secuta ut in Concilio Trid. *Sess.* 23. *c.* 1. versiculo si quis autem: ibi *eum* (scilicet Episcopum vel Curatum non residentem legitimo tempore.) *pro rata temporis absentiæ*

absentiæ fructus suos non facere nec tutâ conscientiâ, alia etiam declaratione non secuta retinere posse. Ex quo textu bonum argumentum desumitur, quod sicut aliàs *exceptio firmat regulam in casibus non exceptis*, ita etiam hic exceptio specialis & insolita clausula, *alia declaratione non secuta*, circa hunc casum arguit & confirmat, quod aliàs ad pœnas etiam ipso jure inflictas in conscientia præstandas sententia *declaratoria* requiratur. Si quæras, quæ sit ergo in effectu differentia an per sententiam Judicis *condemnatoriam*, vel an per *declaratoriam* inferatur pæna? ne gratis alia pæna per Judicem, alia per ipsam legem imponatur? R. hanc esse differentiam, quod pœna illata per sententiam Judicis debeatur primum â die sententiæ, pæna autem illata â jure & postea per sententiam declarata debeatur non tantum â die declarationis sed retro â die commissi criminis ipso jure pænam annexam habentis. sed ais, ergo saltem

frustraneum est illud jus retinendi pænam v. g. fructus beneficiales ipso jure amissos in conscientia, si post declarationem omnes etiam retro percepti restitui debent ? ℟. quòd illud jus retinendi in conscientia hoc operetur, quod res aut fructus ipso jure amissi non extantes, sed interim consumpti sive eorum æstimatio aut pretium, si exinde possessor tempore declarationis non sit locupletior effectus, in restitutionem non veniant, sicut de confiscatione bonorum ipso jure statuta ob crimen hæresis vel aliud tradit Syl. *verbo hæres. 1. n. 13. vers. pro his tamen.* Quod si pæna mortis aut mutilationis vel alia corporis afflictiva statuta sit, non potest quidem reus obligari, ut directè tales pænas exequatur v. g. ut venenum bibat, famis inedia se ipsum conficiat &c. quia talis obligatio utpote naturæ sui conservativæ valde contraria censeretur moraliter impossibilis, tenetur tamen post sententiam latam non resistere executio-

tioni, & debet etiam indirectè cooperari, quatenus est necessarium ad executionem faciendam v. g. scalas ascendere, collũ præbere &c. non esset tamen gravis peccati arguendus, qui potius naturali mortis aut supplicii horrore, quàm ex contemptu Magistratus executioni minus promptè obsequeretur. Imò etiá fugientem ex carcere declinandi gravis supplicii causa quamvis justè incarceratum quàm plurimi DD. â peccato excusant, nimis enim durum videtur obligare homines in conscientia, ut media salvandi vitá suam, quæ juri divino non repugnant, intermittant; licet per accidens custodes carcerũ damnificarentur, tùm quod id eorum culpâ eveniret, tum etiá quod utens jure suo non censeatur alicui injuriam vel injustitiam facere *l. nullus videtur ff. de regulis juris*, qua de re videri poterit Paulus Lay. *de legibus c.* 15. *n.* 7. & alii apud eum citati.

Quæritur 6. an leges tributorum 10
& vectigalium, quæ â Dominis Ter-

ritoriorum imponuntur, obligent in conscientia. ? Non desunt apud Cov. *in relect. c. peccatum de regulis juris in 6. p. 2. §. 5.* qui simpliciter negét, tales leges in conscientia obligare, adeoque vectigalium & tributorum defraudatores in foro interno tutos esse, & tantùm in foro externo si deprehendantur pœna commissi, vel confiscationis mulctari posse. Fundamentum est eorum, quòd omnes leges humanæ habentes aliquam pœnam annexam non obligent in conscientia, cum Legislator annectens pœnam videatur non intendere ad culpam & reatum conscientiæ obligare, sed solâ pœnâ contentus esse. Verum contraria sensentia quam tenet. Cov. c. l. n. 5. & P. Lay. in Theol. mor. *l. 3. tract. 3. p. 1. c. 3. n. 5. & alii communiter* probabilior & tutior est, quod nimirum leges tributorum & vectigalium si justæ sint, hoc est, si latæ ab habente authoritatem, si ex justa causa & secundum quantitatem communem non in-

quan-

quam, obligent in conscientia non tantùm ad solvendum, sed etiam ad non solutum seu defraudatum restituendum. ratio est, quia lex vectigalium & tributorum fundatur in justitia commutativa, ex qua Principi vel Magistratui pro sua sustentatione debetur compensatio, & reditus annuus propter onera publica & curam regiminis publici, ab iis quorum gratia sustinetur. Idque valde efficaciter confirmatur ex sententia Christi de tributo â Judæis interrogati *Matthæi 22. reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, item ex verbis Apostoli *ad Rom. 13. necessitate subditi estote etiam propter conscientiam; ideò enim* (nota connexionem cum eo quod dixit de conscientia) *& tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal &c.* non obstat ratio in contrarium allata, quia illud fundamentum ita generaliter positum communiter à DD. rejicia-

tur, præsertim circa leges, quæ ex æquitate naturali aut justitia commutativa procedunt, cum in similibus additio pœnæ principalem obligationem & præceptum non infirmet, sed potius ejus gravitatem arguat, & declaret, mentem Legislatoris fuisse sub gravi culpa adstringere. Licet interim ipsa pœna in conscientia ante Iudicis sententiam non obliget, & quamvis in conscientia sit obligatio solvendi tributum, non tamen tenetur defraudans, antequam condemnetur, bona sua proprio motu in commissum dare, vel pœnam statutam exsolvere. Addunt verò præcitati DD. & cum illis Syl. *verbo gabella* 3. *n.* 17. si vectigal vel tributum communi famâ vel persuasione populi reputetur iniquum aut sub prætextu sustentationis congruæ vel alterius necessitatis impositum in usus non necessarios ad nutriendam pompam superfluam vel avaritiam cederet, non oriri conscientiæ obligationem. Quòd si consideratis omni-

mnibus dubitetur de justitia tributi aut vectigalis, maximè si fuerit noviter impositum, & non antiqua, consuetudine introductum monet *Syl. d. l. n. 29. & Mol. tomo. 3. disp. 674. n. 7. & 9.* ut confessarii ante factum inclinent populum ad solutionem faciendam, ne periculo injustitiæ erga Principem exponant, sicut & aliàs in dubio ad obedientiam & reverentiam Principi præstandam inducendus est populus: post factum autem nec semper gravis peccati arguant, nec cogant restituere, quia in dubio melior esse potest possidentis conditio. Minor plerumque videtur difficultas facienda cum forensibus & externis: quibus ob solum transitum per aliquem locum vectigalia ac pedagia imponuntur; his enim minor est obligatio conservandi alienum Principem, quam subditis suum proprium, nisi in quantum cura alieni Principis etiam in istorum commodum redundat, videlicet ex reparatione viarum, pon-

tium, securitate itinerum, vel quod in tali loco tutò merces emi & evehi possint *Syl.d.l. n.* 18. ubi etiam *n.seq.* resolvit eos, qui exigunt vectigalia à transeuntibus teneri ad satisfactionem, si per suam negligentiá itinera & loca sui Territorii minus tuta conservarint, & exinde transeuntibus damnum evenerit, & generaliter communis est sententia imponentem nova atque injusta tributa ac vectigalia ad restitutionem, vel aliam æquivalentem compensationem teneri. Qua de re plura apud prænominatos authores videri poterunt.

11 Quæritur 7. an leges infirmantes contractus vel testamenta, aut alias defunctorum ultimas voluntates propter omissam solennitatem, vel aliam causam etiam locum habeant in foro interno, ut ex tali contractu vel testamento infirmato nihil in conscientia debeatur, aut retineri possit?

In celebri controversia DD. tam Theologi quam jurisperiti in diver-

sas

las sententias abierunt, oportet autem prænotare in quo conveniant & in quo dissentiant, ut status quæstionis & difficultas accuratius percipiatur.

Conveniunt igitur primo, si contractus vel alius actus jure naturæ aut gentium valeat, eundem verò lex civilis seu positiva non approbet quidē, sed nec improbet, quod tunc non detur actio in foro externo ad multitudinem litium evitandam, sit tamen naturalis obligatio etiam in conscientia stringens, & in foro externo exceptionem pariens, eo quòd jure naturæ talis actus vel pactum subsistat, pro ut circa pacta nuda concorditer tradunt interpretes ad *tit. de obligat. & ad tit. decret. de pactis.*

Conveniunt 2. quod aliquando lex expressè prohibeat contractum vel aliumactum celebrari, celebratum tamen non irritet, & annullet, adeoquè faciat quidem *illicitum*, sed non *invalidum*, cujus propterea observatio etiam in conscientia obliget,

quod patet ex c. *ad Apostolicam: de regularibus.* ubi dicitur, *quod multa fieri prohibeantur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem*: sicut ibidem deciditur, quod professio religiosa non debeat fieri ante annum probationis expletum, facta tamen valeat, & sustineatur. Quod ante Concilium Trid. ita obtinuit in eodem verò Concilio *sess.* 25. *de regular. c.* 15. omnis professio facta ante annum 16. ætatis, vel unum probationis expletum non tantum prohibita, sed etiam annullata est. Sic matrimonium contractum non præmissis in Ecclesia denuntiationibus, vel in fraudem priorum sponsalium de futuro, vel cum voto simplici castitatis, aut alio impedimento impediente, illicitum est & peccaminosum, non verò invalidum, pro ut superius *p.* 3. *c.* 5. explicatur. Imò communiter receptum est, quod in dubio, quando ex verbis aut circumstantiis aliter de mente Legislatoris non apparet leges *prohibitoria*

ita

ita exponi possint, ut actum solummodo *prohibeant*, non *invalidum* reddant, si de cætero juri naturæ aut bonis moribus non repugnet, *teste Suar. libro 5. de legibus c. 25. & 29. per notata marginalia ad Gloss. in l. 6. C. de pactis. n. 2.* tum argumento *c. ad Apostolicam.* tum etiam ob vulgata juris axiomata, quod abrogatio juris communis & præsertim naturalis sit strictè interpretanda, neque in dubio inducenda, quod infirmatio contractus sit odiosa, & præjudicans: in similibus autem, ubi jura non sunt clara, quod *minimū* hoc est, *minoris præjudicii vel minoris pœnæ* sit tenendum *per regulam 30. & 49. de regulis juris in 6.* Verum huic sententiæ obstat textus valde clarus *in l. non dubium. C. de legibus.* ubi imperator expresse rescribit: ea, quæ *lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam haberi, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Idquè confir-

matur *ex l.6.C. de pactis ex c. imperiali causa 13.q.2. ex c.quæ contra 64.de regulis juris in 6*, in quibus locis simpliciter asseritur; *quæ contra legis prohibitionem fiunt, inutilia infecta, & sine viribus æstimanda esse.* quare ego magis credo juri conformem doctrinam *Gloss.* & Hen. Can. *in dicto c.quæ contra.de reg. jur.in 6.* quod regulariter actus contra juris prohibitionem celebratus etiam invalidus sit, nisi speciali aliquo jure sustineatur, vel ex circumstantiis aliisve conjecturis colligi possit, mentem Legislatoris fuisse, actum solummodo prohibere non irritare, ut in exemplis superius adductis. Ad rationes in contrarium facilius est respondere, quam ad textus juris claros pro hac parte allegatos, nam quod dicitur *in c. ad apostolicam.* obtinet in casibus in quibus habetur juris decisio, vel de mente Legislatoris præsumptio: alia vero juris axiomata possunt intelligi, quando dubitatur, an certus aliquis contractus propter particulares circum-

cum-

cumstantias in specie cadat sub juris prohibitionem, si autem constet, esse prohibitum, jam propter *cit. legem. non dubium. cum concordantibus.* non videtur amplius esse dubitandum, de ejus invaliditate.

Conveniunt 3. quod lex humana possit invalidare actum *civiliter* tantùm, denegando actionem, vel concedendo rescissionem ejus per officium Iudicis manente interim *naturali obligatione*, usq; dum actus in foro externo rescindatur. veluti si minor tutore authore hereditatem lucrosam repudiârit, aut damnosam adierit, & postea restitutionem in integrum postulet *l. 1. & seq C. si tutor vel curat. interven.* si V. g. prohibeatur, sub certa pœna venditio frumenti aut aliarum mercium extra territorium &c. in simillibus casibus is, qui accepit rem alienam retinere potest usque dum à Judice revocetur, dummodo contra justitiam commutativam ob defraudationem justi pretii, vel metum illatum nihil peccatum sit, tunc enim in foro

foro interno etiam ante sententiam judicis restitutio facienda est, & quidem ex sententiâ Sanch. *de matrim. lib.* 4. *disp.* 9. *n.* 4. tametsi metus fuerit levior, qui in foro externo non meretur restitutionem, modo fuerit causa, *sine qua non* fuisset contractum. Ille verò, qui promisit, & nec dum tradidit nec in foro externo, nec in interno obligatur; est enim illa naturalis obligatio propter justam prohibitionem fori externi inefficax, & etiam in foro interno parit justam exceptionem contra adversarii petitionem. sicut regulariter, cui competit actio ad dati repetitionem, vel contractus rescissionem, eidem multò magis datur exceptio ad retinendum *l. nihil interest. & l. invitus* §. 1. *ff. de regulis juris.* & dolo petitur, quod mox restitui debet *l. dolo ff. de dolo mali & metus exceptione.*

Conveniunt 4. quod lex humana possit actum aliquem jure naturæ vel gentium subsistentem ita annullare, ut nulla prorsus nec naturalis, nec ci-

vilis

vilis sive in foro externo sive interno obligatio inde nascatur, imò nec tutâ conscientiâ in tali actu persisti, aut aliquid exinde retineri possit. ita Cõcilium Trid. annullavit contractum matrimonii sine Parocho & testibus celebratum. ita lex civilis irritat contractum à pupillo infantiæ proximo sine authoritate Tutoris initum *l. quod pupillus* 41. *ff de condict. indeb. l. pupil-* 59. *& ibi Gothof. ff. de oblig. & act.* etenim jus naturæ in genere quidem producit obligationem ex consensu, non simpliciter, sed quatenus consensus est *justus*, in quibus autem particularibus casibus consensus justus vel injustus sit, lex humana declarare & decidere potest. huc què referri potest privilegium *SC. Vellejani* fœminis concessum, ne pro aliis efficaciter intercedere seu fidejubere valeant. Item constitutio *SC. Macedoniani*, ex qua filiusfam. non tenetur reddere Mutuum acceptum, nisi cum consensu patris acceptum, vel in rem seu utilitatem ejus, aut sumptus aliàs

às à patre suppeditandos versum sit, *Molina De I. & I. tom. 2. Disp. 30. n. 2, Less. lib. 2. c. 20.*

12. Sed jam in quinto magna est dissensio, quando lex humana præscribit certam formam actui v. g. electioni, alienationi rei ecclesiasticæ, testamentis aut codicillis &c. qua forma non servata actus in foro externo invalidus reputatur, utrùm in tali casu ab omissam formam actus non tantum *civiliter* sed etiam *naturaliter* annullatus sit, ut nec in foro interno ullum effectum habeat, ut qui v. g. ex non solemni electione dignitatem, ex mala alienatione rem ecclesiasticam, ex imperfecto testamento hereditatem vel legatũ consecutus est, ne quidem in conscientia retinere possit?

Sanè Fachin. *lib. 4. controv. cap. 5.* acriter contendit, solemnitates testamentorum nullam vim habere in foro interno si constet de voluntate defuncti, adeoque institutum vel legatarium in testamento non

non solemni in conscientia tutum esse, imò heredem ab intestato in conscientiâ obligari, ut sequatur voluntatem defuncti, quamvis deficiat juris positivi solemnitas. Argumentum est, quòd ex voluntate defuncti etiam *non solemni*, dummodo ex sana & deliberata mente procedente jure naturæ, & ex naturali obligatione debeatur id, quod defunctus voluit, licet in foro externo pro eo consequendo actio non detur, id quod non leviter hoc modo probatur, ubi solutum repeti non potest, ibi saltem naturalis est obligatio, ubi enim nulla prorsus solvendi est obligatio, quocunq; errore solutum repeti potest *l. quod indebitum & l. quod pupillus ff. de cond. indeb.* sed relicta in testamento non solemni, & soluta repeti non possunt *l. 2. C. de fidei commissis l. non dubium C. de testamentis*, ergo naturali obligatione debentur. Eandem opinionem alio fundamento adjuvat Panor. *in c. cum esses. de testamentis, & in c. quia plerique. de im-*

immuni. Eccles. quod solemnitates actuum & testamentorum â jure civili ex præsumptione & evitatione fraudis, quæ circa talia committi solet, inductæ sint, leges autem fundatæ in præsumptione locum non habeant in conscientia, quando de veritate & enixa voluntate defuncti constat *per tex. notab. in l. fin. C. de fideicom.*

His tamen non obstantibus probabilius videtur quod docet Cov. *in dicto c. cum esses. de testam. n.* 12. *& seq.* solemnitates testamentorum (idem est de aliorum actuum vel contractuum substantialibus solemnitatibus, quibus non observatis in foro externo annullantur) etiam in foro animæ vim & effectum suum habere, neque retineri posse in conscientia, quod ex contractu vel testamento nullo (citra spontaneam agnitionem heredis, de qua infra) acceptum est, & contra tutum esse heredem ab intestato, si testamentum defuncti nullum expugnaverit, utcunque de vo-

lun-

luntate eius constiterit. Ratio est primo, quod leges & præcepta legislatorum atque etiam judicum justa in foro externo etiam sint justa in foro interno ut superius in q. 5. probavimus. neque esset conveniens, ut Iudex alicui in foro externo justè adjudicaret hereditatem contra voluntatem defuncti in testamento non solemni expressam, & tamen in conscientia accipiens tutus non esset.

2. Lex est domina rerum, & potest ex causa uni dominium auferre, & contra voluntatẽ ejus in alium transferre, ut accipiens etiam in cõscientia tutus sit, sicut in jure *præscriptionis & usucapionis* manifestum est, & docet idem Fach. *lib.* 1. *c.* 24. ergo multò magis ex defectu solennitatum ob publicam utilitatem introductarum poterit impedire dominii translationem contra voluntatem transferre volentis, & aliis, scilicet legitimis heredibus, præsertim filiis (quibus jure naturæ & gentium potius quam extraneis debetur *l. cum ratio ff. de bon.*

bon. dam.) adjudicare : cum minus præjudicii sit non acquirere , quam acquisitum perdere.

3. Ad voluntatem cuiusque actus etiam in foro interno duo requiruntur scilicet *voluntas & potentia* per tex. *in c. cum super. de offic. deleg.* prout in Physicis non movetur ex mea *voluntate* lapis , si pondus virium *potestati* resistat. quid quid ergo testator in testamento non solemni *voluerit* effectum non habebit, si *potestas* id faciendi jure prohibente non fuit *l. hac consultissima* §. 1. *C. de testamentis.* ibi *ex imperfecto testamento voluntas etiam teneri defuncti non volumus &c.*

4. In *c. innotuit. de electione.* non obscurè colligitur , quod illegitimè natus absque dispensatione electus non possit salvâ conscientiâ dignitatem acceptare , licet hoc impedimentum illegitimæ nativitatis jure tantum humano statutum sit.

5. In *extravag. ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non alien.* non tantum alienans res ecclesiasticas sine solennitate

te, sed etiam malè alienatas recipiens excommunicationem incurrit, quod fieri non posset, si accipiens in conscientia non peccaret, siquidem excommunicatio non nisi ob peccatum mortale incurratur. quæ duæ postremæ rationes valde obstant illis, qui putant, electionem vel alienationem rei ecclesiasticæ contra jus tantùm humanum celebratam in conscientia observari posse.

Ad primum & potissimum argumentum in contrarium respondet Cov. non esse *naturalem* sed *moralem* tantùm & *honestatis* obligationē. mihi salvo meliori judicio videtur etiam dici posse, non probari absolutè in allegatis legibus, nec *in l. ultima C. de fideicommiss.* quòd relicta in testamento non solemni & per errorem soluta repeti nequeant, cum regulare sit, quod ex omnibus causis, quæ jure non valuerunt, vel non habuerunt effectum soluta per errorem repeti possint. *l. ex his omnibus. 54. De Cond. indeb.* Sed hoc, quod heres.

d

de cujus principali præjudicio agitur, possit suo juri, quod haberet contra testamentum non solenne, renunciare, & *agnoscere* voluntatem defuncti, idquè juris interpretatione censeatur facere solvendo minus solenniter relicta, post quam agnitionem non sit amplius locus pœnitentiæ *juxta reg. 21. in 6. quod semel placuit amplius displicere non potest.* ita non obscure colligitur ex ipsis textibus allegatis, qui *in d. l. non dubium 16. C. de Testam.* ibi: *etsi voluntas defuncti circa legata, & fideicommissa legibus subnixa non sit, tamen si hered. sua sponte agnoverit, implendi eam necessitatem habeat.* similis textus est *in l. 2. C. de fideicomiss.* ubi hered comperiens voluntatem defuncti non solennem, & tamen solvens, juris interpretatione censetur eandem approbare. Deniquè *in l. fin. C. eod.* quæ clarius repetitur *in §. fin. I. de fideicom. hered.* dicitur, quod testator *fidem heredis elegerit &c.* ideòq; supponendum, quod hered de præstando fideicommisso fidem suam interposuerit,

rit, aliàs enim si contradixisset, non potuisset testator *eius fidem elegisse*. & hoc si de foro *externo* loquamur: quantum ad forum *internum* quæstio eò recidit, an dicta *juris interpretatio* ex qua solvens inutile relictum censetur approbare voluntatem defuncti, in effectu sit *præsumptio*, aut potius *fictio* juxta tradita superius §. 3. *q.* 5. quod cum dependeat à voluntate legislatoris, quæ diversimodè à DD. explicatur, ideo non est facile certum aliquid statuere. fermè mihi verisimilius videtur, dictam interpretationem in effectu *fictioni* comparari, quia legescitatæ simpliciter volunt, ut defuncti voluntas semel agnita, firma maneat, ex qualiquali obligatione inde exorta, nolim tamen contrarium erroris damnare.

Cœterùm verò si ponatur casus, quòd heres non habuerit certam scientiam voluntatis defuncti, sed solummodo confisus scripturæ aut depositioni testium non solemniter relicta per errorem juris solverit, an tunc repeti-

petitionem non habeat? id in dictis legibus non deciditur. neque etiam, an ex sola conscientia voluntatis defuncti, qui necdum solvit, ad solvendum teneatur? licet enim ex voluntate defuncti sive naturalis sive moralis obligatio nascatur, ea tamen (*sine spontanea agnitione heredis d. l. non dubium.*) inefficax est, sicut obligatio pupilli sine tutoris authoritate. Quod autem quidem ajunt, hanc obligationem operari retentionem per remedia juris etiam in conscientia avocabilem, puto ita intelligendũ, quòd rem ex testamento non solenni sine vi aut fraude obtentam liceat quidem retinere, quamdiu dubium aliquod de valore testamenti, vel an heres ab intestato secuturus sit, & agniturus voluntatem defuncti superesse potest, non autem, si manifestè constet de invaliditate testamenti, & simul de facto heres ab intestato declarârit voluntatem suam, quòd jure ex lege sibi competente contra voluntatem defuncti uti velit, tamet[si] de-

decretum Judicis non intervenerit, cum enim sciam me perditurum causam in judicio, planè æquitas naturalis non admittit, adversarium justam causam foventem per molestam litem cum jactura temporis, expensarū, amicitiæ, animi pacationis vexare.

Ad alterum respondetur negando, quòd leges præscribentes actibus formas substantiales fundentur in præsumptione, licet motivum condendæ legis fuerit evitatio fraudis. Neque cessante ratione legis in particulari casu cessat lex generalis formam actui statuens, nisi ratio generaliter cesset. sicut si matrimonium hodie post concilium Trid. coram centum testibus absque Parocho contraheretur, non ideò valeret, tametsi in hoc casu periculum abnegandi matrimonium cessaret. Alias instantias, quas adducit Fach. *l. c.* quòd multa negentur in foro externo, quæ non obligant in foro interno, sicut exempla ponit de denegata actione ob læsionem infra dimidium justi

pretil de actione *quanti minoris* vel *redhibitoria* ultra annum vel medium non extensa, facile est resolvere ex superius dictis, quod nempe aliud sit adminuendas lites actionem in foro externo denegare, & aliud ipsum actum eiusque obligationem annullare.

§. IV.

De promulgatione acceptatione & abrogatione legum.

Summaria.

1. *Scriptura non est de substantia legis.*
2. *Qualis promulgatio & scientia ad obligationem legis requiratur.*
3. *Ante lapsum duorum mensium non obligantur scientes.*
4. *Quid sit speciale de stilo curiæ Romanæ.*
5. *Legis valor an dependeat à populi acceptatione.*
6. *Contra legem dissimulante legislatore non acceptatam currit consuetudo.*
7. *Differentia inter abrogationem derogationem, dispensationem & declarationem*
8. *Statuta inferiorum à superiore confirmata à quo revocari possint.*
9. *Plures utilissimæ regulæ observandæ circa legum interpretationem.*

Quàm

QUàmvis absolutè ad substantiam legis non desideretur, ut in scripturam redigatur, & lex vel constitutio positiva tantum accidentali & extrinseca denominatione *Ius scriptum* dicatur, ad distinctionem juris consuetudinarii, quod absque constitutione per mores hominum inducitur, sicut cum comuni tradit Harp. *ad §. 6. Instit. de I. N. G. & C.* requiritur tamen, ut sive per scripturam publico loco affixā, sive per præconis proclamationē ita publicetur, ut in hominū ex lege obligandorum notitiam devenire possit. *cur enim culpabimus eos* inquit Imperator *in Nov. 66 c. 1. qui positas ignoraverint constitutiones.* Porrò de promulgatione legum Imperialium habetur *in c. Nov. 66.* quod non obligent, nisi postquam fuerint promulgatæ in cujusque Provinciæ Metropoli, & insuper duo menses elapsi sint, ut intra hoc temporis spatium sufficiens notitia haberi possit. quare tametsi aliquis prius in notitiam talis legis devenerit, tamen an-

te lapsum duorum mensium ad ejus observationem non adstringetur, quod generaliter obtinet, quoties Legislator ad obligationem suæ, legis, vel longiorem vel breviorem terminum præscripsit. prout in Concilio Trid. *Sess. 24. de refor. matr. c. 1. in fine* statuitur, quod irritatio matrimonii clandestini primum post 30. dies à die promulgationis vim habeat. Non ignoro, quod multi DD. contrarium doceant apud *Barb. in c. 2. hoc tit. n. 9.* existimantes, quod lex sive imperialis, sive alia habens certum tempus annexum obliget eos, qui ante finitum illud temporis spatium notitiam legis acquisiverunt per textum *in c. 1. de postulat. Præl.* ibi: *sufficit, ut ad constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam &c.* cui addi potest *regula 31. juris in 6. quod certus certiorari ulterius non debeat.* Sed recto juris & verborũ sensui magis consona est nostra sententia, quam præter alios etiam docet Nav. *de constit. Cons. 1. n. 8.*

n. 8. Menoc. de arbitrariis Iudicum casu 185. n. 20. etenim in citata Nove. 66. dicitur, leges primum *post duos menses valere*: in citato loco Concilii, quod decretum de reformatione matrimonii primum *post* 30. *dies robur habere incipiat*: in bulla Pii 4. super declaratione temporis ad observanda decreta Concilii Trid. *jure communi sancitum est*, ait Pontifex, *ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant &c.* quæ sanè verba in propria significatione satis indicant, quod tempus legi adjectum universim sine distinctione tam respectu scientium, quam ignorantium obligationem suspendat. Accedit, quod mens Legislatoris tempus legi adjicientis fuerit, tollere confusionem in populo, ne aliqui propter scientiam prius, aliqui propter ignorantiam serius obligentur, quæ confusio minimè tolletur, si tempus adjectum respectu scientium obligationem legis non remoretur. Ad contraria respondetur, ea procedere exsuppositio

jam negato, quòd lex ante lapsum temporis obligare inceperit: neque enim *in c.* 1. propositum fuit summo Pontifici nostram quæstionem decidere, sed aliam, nimirum, quòd ad obligationem legis sufficiat promulgatio in communi, & non requiratur, ut singulis per mandatum speciale insinuetur. Deinde *illud c.* loquitur de constitutione alicujus Cardinalis. quâ in re est advertenda communis doctrina tradita â Panor: *in c. 2. hoc tit. n. 7.* quod in constitutionibus Legislatorum inferiorum à summo Principe non habeat locum illa *Novell. 66.* sed si tempus certum expressum non habeant, obligent scientes statim, ignorantes verò post tempus arbitrarium quo rationabiliter potest præsumi de ipsorum notitia, & post quod tempus non debuissent constitutionem ignorare, sicut
4 dicitur *in c. 1. de præbendis in 6.* Speciale est de stylo Curiæ Romanæ circa bullas summi Pontificis, quod vim habeant obligandi, quâ primũ in eadẽ Curia

ria Romana publicátur, & in *acie Campi Floræ* ac ad valvas Basilicæ Apostolorum affixæ sunt, & in Cancellaria Apostolica pro publicatis habentur, teste *Barb. d. n. 9. cum citatis ibidē.* Attamen hic stylus limitandus est, ut in primis potissimum procedat circa causas beneficiales & similes, in quibus S. Pontifex liberam potestatem habet, non autem circa ea, quæ proximè conscientiam tangunt, ut circa censuras Ecclesiasticas, jurisdictionem Confessariorum in foro pœnitentiali &c. nam similia debent etiam in partibus innotescere & publicari, ne ignorantes peccati arguantur, vel periculum animarum incurrant. *arg. c. cum infirmita, De pœnit.* præterea si V. g. circa beneficiales causas aliquid novi Romæ constituatur, habebit quidem effectum, si causa ex partibus Romam perveniat, si verò in partibus præsertim ultromontanis agitetur, secundum jus ordinarium & consuetudines ibi vigentes judicabitur, si talis bulla ibidem publicata, & recepta

non sit: nam stylus Curiæ non in omnibus extenditur extra Curiam, maximè cum naturali æquitati sit conveniens, ut leges non publicatæ, adeoquè ignoratæ, non ligent, & Pontifex per generales leges non intendit semper particularibus locorum statutis & consuetudinibus derogare, nisi exprimat *c. 1. hoc titulo in 6.*

§ De acceptatione legum quotidiana quæstio & controversia est, an legis effectus & obligatio à populi acceptatione dependeat, & qualiter illud accipiendum sit, quod vulgò circumfertur, legem non acceptatam non obligare? enim verò aliqui cum Nav. *hoc tit. consilio* 1. q. 5. simpliciter asserunt, vim & substantiam legis à populi acceptatione pendere, & omnes leges habere tacitam conditionem, *si acceptentur* pro quibus facit textus *in c. in istis §. leges. dist.* 4. ibi: *leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Item *in l. de quibus ff. de legibus, istæ leges, ait juris Cons. nulla ex causa*

causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sint. Verum rationi magis contentaneum est, quod cum populus in omnibus justis præceptis obedientiam Legislatori tam in foro interno, quàm externo debeat, ut in priore §. demonstratum, non esse in potestate populi, an legem acceptare vel rejicere velit: non acceptari autem aliquando legē posse vel ex ignorantia, quia V. g. Romæ tantùm lata per Ordinarios locorum in partibus nunquam promulgata fuit, vel ex causa, quia continet aliquod notabile gravamen, propter quod utiliter in singulis locis observari non potest, & insuper Legislator, qui non ignorat, vel facilè scire potest neglectum suæ legis saltem tacitè connivendo acquiescit. Non obstant, quæ in contrarium allata sunt, nam ille textus *in d. §. leges*, in primis est Gratiani, cujus authoritas non est decisiva; deinde explicari potest de confirmatione legum *extrinseca* & accidentali, non *intrinseca* & substantiali, quatenùs scil-

cet leges moribus utentium receptæ, extrinsecam suam perfectionem & vigorem consecutæ sunt, non verò quòd ante hanc receptionem vim propriam obligandi ex se non habuerint. Alter textus *in l. de quibus ff. de legibus.* procedit de illo antiquo tempore, quando potestas leges ferendi, & magna pars imperii penes populum Romanum fuit, postea verò quando populus *lege Regia* omnem potestatem suam in Principem transtulit *juxta l. 1. ff. de constitut.* nulla fuit relicta populo authoritas legem aut ferendi, aut approbandi. Maximè autem in causis Ecclesiasticis & spiritualibus *dicta lex 32.* locum non habet, quia in istis potestas ferendi legem immediatè à Christo Apostolis eorumquè successoribus data est, & nunquam penes populum fuit.

6 Illud quoque circa acceptationem legum advertendum est, quod si lex dissimulante Legislatore non observetur, currat contra eam tempus præscriptionis, ut sive pontificia sive cæsarea

sarea sit lapsu 10. annorum aboleatur: sed hoc si nunquam recepta sit, si verò aliquando recepta, & postea per contrarium usum intermissa, ad eam, si *ecclesiastica* sit, 40. annorum spatium requiretur. qua de re inferius in titulo de consuetudine plura dicemus. Sin autem Legislator instet & urgeat, legem suam recipi, non obstante gravamine à populo proposito, nec iniquitas legis manifesta sit, secundùm obedientiam ei debitam parendum erit. sœpe enim homines veteres corruptelas & malas consuetudines difficulter relinquunt, non tamen propterea semper eis indulgendum, si aliud pro Reipublicæ utilitate expedire Principi videatur.

7 Inter *abrogationem*, *derogationem*, *declarationem legis* & *dispensationem* in lege differentia facienda est. Nam *abrogatio* significat totalem cassationem & sublationem legis. Fit autem *abrogatio* aliquando per consuetudinem contrariam, de qua inferius: aliquando per ipsum Legislatorem vel

successorem ejus ob mutatas circumstantias temporum, rerum & causarum: *non nunquam enim* ait Joannes 22. *in extravag. 2. de verb. signif. quod conjectura profuturum credidit subsequens experientia nocivum ostendit, ideò non debet reprehensibile judicari, si Canonum Conditor Canones à se vel suis prædecessoribus editos revocare studeat, si obesse potius viderit quàm prodesse.* Dico, etiam per successorem posse revocari constitutionem antecessoris: idque tam etsi haberet clausulam, *hac immutabili & in perpetuum valitura lege sancimus &c.* cum enim par in parem, aut antecessor in successorem æqualis dignitatis non habeat imperium vel jurisdictionem, ideo etiam lex aliqua successori ab antecessore præscribi non potest, à qua ei recedere non liceat *c. innotuit, 20. de elect.* & hoc non tantum de constitutionibus imperatoriis, aut pontificiis, sed etiam inferiorum Principum & Legislatorum accipiendum est, prout superius diximus statutum

prædecessoris Episcopi vel Capituli sede vacante posse à successore Episcopo revocari. Sed quid, si talia statuta inferiorum Legislatorum à summo Pontifice vel Imperatore confirmata sint, anne nihilominus ab inferioribus revocari poterunt? Distinguendum putat Decius *in c. cum accessissent, hoc tit. n.* 18. an statuta inferiorum sint lata *contra* jus commune in quibus propterea ex defectu potestatis statuendi confirmatio superioris fuit necessaria, vel an statutum fuerit *præter jus*, & per se validū, ac confirmatio superioris tantùm accidentalis & corraborativa: illo casu, censet statutum ab inferiore amplius revocari non posse, cum per confirmationem à qua totam substantiam accepit facta sit lex superioris, cui inferior derogare non potest *Clement. ne Romani. in princip. de elect.* secus verò in casu posteriori, in quo statutum substantialiter est inferioris. Sed quia huic distinctioni obstat textus in eodem *c. cum accessissent.* ubi suppres- 8

so *Primiceriatus* in Ecclesia Cathedrali, & ejus fructuum inter Canonicos distributio fuit statutum Capituli *contra jus* commune teste Glos. *ibidem in Verb. confirmatum*: cum jure communi non liceat Capitulo præbendam canonicalem præsertim verò dignitatem supprimere, & tamen hoc statutum licet à summo Pontifice necessariò confirmatum potuit à Capitulo ipso facto contraveniendo revocari. ideo circa primũ distinctionis à Decio assignatæ membrum alia distinctione utitur Abbas *in dicto c. cum accessissent. n.* 2. quam etiam probat Prosper Fag. *in eodem c. n.* 12. nimirum, si statutum confirmatum à superiore concernat favorem publicum, vel aliorum, quàm statuentium non possit revocari ab inferiore, possit autem, si concernat principaliter favorem ipsorum statuentiũ *ut in d. c. cum accessissent.* ubi reditus dignitatis suppressæ accreverunt reliquis Capitularibus; eo enim casu fit revocatio ad illũ modum, quo quilibet potest favori aut privilegio suo renuntiare. De-

Derogatio significat particularē legis imminutionem, quæ se habet vel ex parte ipsius legis, quando Legislator unum legis articulum mutat, vel á generali constitutione certos casus speciales excipit; vel ex parte subditi, quando eidem Legislator rescriptum, privilegium, aut dispensationem contra legem concedit.

Declaratio est vera legis interpretatio secundum mentem Legislatoris, hæc etiam aliquando inferioribus in lege superioris competit. Sic summus Pontifex quàmvis inferior sit jure divino & naturali, & illud abrogare, vel in eo dispensare nequeat, declarare tamen potest, & verum ejus sensum exponere. licet verò etiam alii viri docti possint interpretationes legum divinarum & humanarum facere, eæ tamen probabiles solummodo sunt, non authoritativæ & decisivæ sicut summi Pontificis.

Cæterum circa hanc privatam interpretationem, quam faciunt privati

ti DD. aliquot utiles regulæ tradun-
tur, quæ tum in judiciis tum in scho-
lis frequentissimè adduci solent: in
quòd *interpretatio* legum potius men-
ti quam verbis Legislatoris convenire
debeat. *non* enim *debet intentio verbis,*
sed verba intentioni deservire c. secun-
dò requiris 41. *de appell. & scire legis*
non est verba callere, sed vim & pote-
statem L. scire 17. *ff. de legibus* textus
notabilis *in l. scire* 13. §. 2. *ff. de ex-*
cus. tutorum. ibi: *sed etsi maximè ver-*
ba Legislatoris hunc habeant intellectum
tamen mens legislatoris aliud vult, unde
in l. contra legem ff. de legibus, in frau-
dem legis facere dicitur, qui *salvis*
verbis legis mentem ejus circumvenit;
ut in vulgari exemplo, si prohibitus
noctu ambulare sine lumine, lumen
quidem deferat, sed ita absconditum
ut â nemine agnoscatur &c. & in c.
ult. de R. I. in 6. *certum est*, ait Pon-
tifex, *quod is committat in legem, qui*
legis verba complectens contra legis mi-
titur voluntatem.

2. Juxta vero similem mentem legis-
lato-

latoris leges universales vel admodùm rigorosæ nonnunquã benigna aliqua interpretatione secundũ *bonum & æquum* explicandæ sunt, & ab iis aliqui casus in specie excipiendi ob rationabiles cõsiderationes, de quibus, si Legislator interrogatus fuisset, ipsemet excepisset, non enim possunt omnes casus legibus comprehendi, sed illi qui plerumque & ordinariè accidunt, *l. non possunt l. nam ad ea ff. de legibus*, atq; ista interpretatio secundũ *bonum & æquum Epichia* aut præsumta mens Legislatoris vocatur. Huc etiam pertinet textus in *l. placuit C. de Iudiciis*, ubi Imperator rescripsit, quòd *in omnibus causis potior esse debeat æquitatis, quàm stricti juris ratio*, verum quia in *l. 1. C. de Legibus*, idem Imperator interpretationem *inter æquitatem & jus scriptum* sibi reservavit, & in *l. prospexit ff. qui & à quibus appell.* Jurisconsul. vult legem etiam *duram* observandam esse, si *ita scripta* sit, & Aug. *in c. 3. dist. 4.* ait: *non de legibus, sed secundum leges judicandum*

dum esse, ideo Fach. l. 1. controv. c. 3. sequenti distinctione rem componit; vel enim verba legis ejusque mens adeò clara sunt, ut salva ratione recti sermonis non possint aliam interpretationem habere, & servanda est lex *quamvis dura*: vel verba legis sunt generalia, quæ in particularibus casibus salva verborum generalitate & ratione recti sermonis possunt habere interpretationem ex bono & æquo, & procedit *d.l. placuit*: vel denique dubitatur, quid justum quid æquum sit, & juxta d. l. 1. *C. de LL.* Princeps consulendus est.

Præterea in legibus quæ formas substantiales actibus præscribunt, ex communiori DD. sententia Epichia aut interpretatio contra verba & formam legis admittenda non est, quia rigor talium legum bonum publicum concernit, nisi aliter mens legislatoris colligi posset. ita docent non valere matrimonium etiam quacunque urgente necessitate sine Parocho & testibus contractum *Barb.*

ad Conc. Trid. sess. 24. c. 1. n. 140. Sanch. de matr. lib. 3. disp. 17.

3. Similiter ob cessantē rationem legis rectè non nunquā fit interpretatio ex mēte legislatoris cessare ipsam legem *c. cum cessante. de appell. l. adigere ff. de jure patronatus.* quod tamen ita intelligendum est, ut si totalis & adæquata (non particularis aut impulsiva solum) legis ratio generaliter cesset, tunc etiam lex generaliter cessare dici possit, si verò ratio in particulari tantum casu cesset, frequens est, ut præsertim in legibus formas substantiales præscribentibus, vel aliàs conformitatem publicam respicientibus obligatio legis adhuc etiam in illo particulari casu perseveret. si verò ex non observatione legis, cujus ratio in particulari cessat, nullum oriatur in communi scandalum, ut maximè accidit in legibus in falsa præsumptione fundatis, dicendum etiam est, talem legem in particulari casu præsertim verò in conscientia non obligare.

4. Le-

4. Leges pœnales odiosæ aut magnum præjudicium afferentes sunt strictæ interpretationis & non ulterius quam secundum verborum strictam proprietatem sonant etiam ex paritate rationis extendendæ, è contra leges favorabiles ampliori interpretatione adjuvandæ *c. in pœnis. c. odia de regul. jur. in 6.*

5. Etiam leges exorbitantes à jure communi, & aliarum legum correctoriæ strictè interpretandæ sunt, neque regulariter censetur plus de priore lege mutatum quam expressum *l. præcipimus C. de appell.* & si ex pluribus prioris legis articulis unus solus mutatus, aut una sola exceptio addita, in reliquis lex immutata manet juxta dictum Glos. communiter receptum *in l. in iis 15. ff. de legibus, quod exceptio firmet regulam in casibus non exceptis.*

6. Ex paritate rationis, rerum, personarum & aliarum circumstantiarum, quod decisum est in uno casu per interpretationem etiam ad alios ca-

casus dubios & non decisos extendere oportet juxta vulgare, quod ubi eadem est ratio (adæquata scilicet sine apparente disparitate) eadem sit juris constitutio *l. non possunt* 12. *cum l. seq. & l. ideo ff. de LL.*

7. Verba legis accipienda sunt secundum propriam significationem & non improprianda nisi aliter constet de mente Legislatoris *l. non aliter* 69. *ff. de Legatis* 3. in dubia autem & ambigua significatione verbi præferenda est, quæ communi hominum acceptioni, vel mentis legis aut æquitati magis correspondet, vel ad pœnas & odia minuenda, favores autem ampliandos magis convenit.

8. Correctio jurium non facile admittenda, sed si Canones aut leges inter se discrepantes proferantur, nec ex contextu de manifesta correctione appareat (solet enim quandoque jus posterius derogare priori) de aliqua conciliatione seu concordia cogitandum, *c. cum expediat de elect.* in 6. quid autem, si inter jus Canon.

&

& Civile diſcrepantia ſit, inferius in §. 6. dicemus. Demùm conſuetudo præſertim ſecundum quam jam aliquando in contradictorio judicatum eſt optima legum interpres cenſetur *l. ſi de interpretatione 27. ff. de legibus.*

Diſpenſatio eſt relaxatio legis in aliquo ſpeciali caſu, vel particularibus perſonis publica authoritate facta, hæc regulariter illi tantum competit, qui ſupra legem eſt, ſcilicet Legislatori vel ſucceſſori ejus, inferioribus tamen etiam non nunquam vel ex ſpeciali privilegio, aut conſuetudine, aut ex præſumpta mente ſuperioris ob magnam cauſam & dati morali impoſſibilitate ſuperiorem adeundi conceditur.

§. V.

DE CONSVETVDINE.

SUMMARIA.

1. *Conſuetudo jus non ſcriptum.*
2. *Differt â traditione & præſcriptione & ibi cur Deus toleret Judæos.*
3. *Conſuetudo triplex.*

4. *A*

4. *Ad Consuetudinem requiritur actuum frequentia, sufficiunt tamen extra judiciales.*
5. *Debet esse rationabilis.*
6. *Quanto tempore introducatur consuetudo, & quo sensu dicatur præscripta.*
7. *An & qualis consensus superioris in consuetudine desideretur.*
8. *Consuetudo non debet interrumpi.*
9. *Debet esse circa talia, quæ possideri possunt.*
10. *Qualiter tollatur consuetudo, & quid operetur clausula*: nulla obstante consuetudine.

DIuturna consuetudo ait Juris Conſ. *in l. 33. ff. de LL. pro jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt observari solet.* & Isidorus *in c. 5. dist. 1. consuetudo*, inquit: *est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur.* Est igitur consuetudo jus nonscriptum de moribus hominum tractum. Non tamen repugnat consuetudini, si ex post facto in scripturâ redigatur, prout *jus feudale* adhuc hodie consuetudinarium dicitur, & illi *libri feudorum*, qui in Corpore Iuris Civilis habentur, *consuetudines*

1

feu-

feudales appellantur: sufficit enim, quod tale jus in primo sui initio non ex scripto, sive præcepto alicujus legislatoris, sed ex usu, & moribus descenderit, neque postea tanquam nova lex per aliquem legislatorem præceptum sit.

2 Differt consuetudo à *traditione*, quod illa regulariter introducat & constituat novum jus, hæc verò supponat jus antiquum, & potius vices promulgationis subeat: cujusmodi sunt illa, quæ circa jus divinum & sacras leges ab Apostolis & Ecclesia accepimus. *tenete traditiones* ait Apostolus 2. *ad Thessalo c. 2. quas didicistis, sive per sermonem nostrum, sive per litteras. unde* graviter errant hæretici, qui *traditiones* Ecclesiæ contemnunt, libenter enim ab ipsis audirem, quomodo sacra Biblia esse sacram Scripturam à Deo descendentem aliter, quàm ex traditione probare possint. in ipsa quidem sacra Scriptura sæpius ita legitur: *hæc dicit dominus, verbum domini stat in æter-*

num

num &c. si quis tamen (quod absit) de his ipsis verbis dubitaret, sanè prima probatio ex traditione petenda foret, nam utique hæretici ex ore Dei ea non audiverunt, *vide etiam Zæs. hoc tit. n.* 15. Hinc plane credibile est, quod Deus gentem judaicam non penitus deleri, sed toto orbe dispergi voluerit, cum ritus Judaici Evangelicam veritatem ad umbrent, & gens judaica, quæ ita constanter suam progeniem, & traditiones suas à Mose & patriarchis derivat, testimonium assiduum præbeat S. Scripturæ, ne ab atheis hominibus tanquam figmentum explodatur. *quid est aliud hodie gens ista*, ait D. August. contra Faust. c. 23. *nisi quædam scriniaria, bajulans legem & prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nuntiat per litteram.*

Differt quoque consuetudo *à præscriptione*, quòd hæc sit inter privatas particulares personas, cum unius damno alterius lucro, illa verò sit usus 2

& obſervatio totius populi vel com-
munitatis cum æquali omnium da-
mno vel lucro, licet interim etiam
conſuetudo alicubi dicatur præſcri-
pta, de quo tamen inferiùs dicemus.

Eſt autem conſuetudo triplex, una
ſecundum legem, quâ lex ſuperioris
uſum deduciter *c. in iſtis* §. *leges dis.*
4. vel inter diverſas interpretationes
quæ ad illam legem adferri poſſent
certum modum obſervatur, in qu
locum habet, quod dicitur, conſue-
tudinem eſſe optimam legum inter-
pretem *l. ſi de interpretatione* 37. *c.*
l. ſeq. ff. de legib. altera *præter legem*
procedens in illis caſibus, qui à ju
ſcripto deciſi non ſunt. Tertia *contra*
legem, quâ lex ſcripta vel uſu non
cipitur, vel recepta denuò abroga
& tollitur. Non obſtat *c.* 2. *C.*
diſt. 11. *lex* 2. *C. quæ ſit longa conſue.*
in quibus conſuetudo legi repu-
gnans reprobari videtur: nam inter-
pretatio iſtorum textuum poteſt
mi *ex c. cum tanto.* 11. *hoc tit. conſ*
tudo longæva, inquit ibidem Pontif.

licet non sit vilis authoritatis, non tamen est usque adeo valitura, ut juri positivo debeat præjudicium generare, nisi (hic notetur interpretatio) fuerit rationabilis, vel legitimè præscripta. Porrò ad consuetudinem *præter & contra* legem (nam de illa, quæ *secundum leges* est, parum difficultatis esse potest) sequentes conditiones requiruntur, *primò* quòd actus, ex quibus inducitur consuetudo fuerint sæpius frequentati, & ita notorii, ut in majoris partis populi notitiam devenerint *l.* 1. *C. quæ sit longa consuet. Panormi. in c. ult. h. t.* Quotnam autem actus ad inducendam consuetudinem desiderentur, non est una omnium sententia. Plerique cum lex actuum pluralitatem requirat *in dicta l.* 1. pluralis autem locutio in dubio ad duo restringatur. *c. pluralis.* 40. *De R. I. in 6.* duos saltem actus necessarios statuunt. 4

Sed rectius id arbitrio Judicis relinquitur, qui, cum de consuetudine quæstio movetur, ex qualitate

actuum judicare debet, an majori parti populi innotuerint, & ita quidem, ut non tantùm aliqui, vel singuli actum resciverint, sed ut etiam alii de populo aliis non contradicentibus eundem actum imitati fuerint. Quod satis colligitur ex dicta *l.* 1. *ibi*; *probatis his, quæ frequenter servata sunt causâ cognitâ statuet &c.*

Item quæritur, an tales actus debeant esse *in contradictorio judicio* obtenti? rationem dubitandi facit *l. cum de consuetudine* 34. *ff. de legib. cum de consuetudine*, ait ibidem Juris Cons. *confidere quis videtur, illud exploratum arbitor, an etiam contradictione aliquando judicio firmata sit.* Nihilominus verius est *extra judiciales actus* sufficere, quia etiam in his consensus & usus populi verificatur. Dicta autem *lex* 34. loquitur de *confirmatione* non de *introductione* consuetudinis, id est, quòd allegans consuetudinem, quam aliàs tanquam *rem facti* per testes probare deberet, relevetur ab onere probandi, si talis

consuetudo jam aliquando in judicio recepta, & pro ea judicatum sit. Imò si indifferenter actus judiciales ad introducendam consuetudinem requirerentur, tunc jure civili lapsu 10. annorum consuetudo contra legem introduci non posset, quia sententiæ judiciales contra legem latæ sunt ipso jure nullæ, & possunt usque ad 30. annos nullitatis argui.

Secundò requiritur ad introducendam consuetudinẽ, ut sit *rationabilis*, nam & *consuetudo præcedens, & ratio, quæ illam suasit custodiendaest*, referibit Imperator in *sæpe dicta l.* 1. *C. quæ sit longa consuet. & textus sunt in l. quod non ratione ff. de LL. c. ult. hoc tit. c.* 2. *eodem in* 6. Ea autem consuetudo *rationabilis* non est, quæ vel juri naturali, aut divino adversatur, adeòque periculum salutis inducit *d. c. ult. hoc tit. c. fin. de præscript.* vel jure canonico reprobatur, pro ut in Sacris Canonibus sæpius hæc vel similia verba leguntur; *nullâ obstante consuetudine, quæ potius corruptela*

est dicenda. c. cum Venerabilis 7. h
tit. c. 1. eodem in 6. vel ad peccandu
occasionem & viam aperit. *c. ex pa*
te. cum suo summario hoc tit. c. fina
de præscript. vel denique Eccles
aut aliàs communi Reipublicæ uti
litati perniciosa est. Dices, o
mnem consuetudinem contra lege
introductam esse *irrationabilem*, ho
ipso, quòd lex debeat esse *ration*
bilis, & proinde quod contra lege
rationabilem inducitur, irration
bile censeri debeat. R. hoc argu
mentum solvendum esse ex iis, qu
superius *de Constitutionibus* de *abr*
gatione legum diximus, quòd nim
rum omnis lex debeat esse ration
bilis secundùm considerationes
circumstantias ejus temporis, qu
fertur & secundum mores certi lo
tem populi, non autem quod debe
at esse rationabilis secundum omn
considerationes & circumstantias e
jam in futurum emergentes, v
secundum omnes populos. *videa*
textus in c. alma mater de sentent. e
co

com. in 6. in Extravag. un. Ioann. 22. de torneamentis, & in extravag. 2. & 3. de verb. signif. Dices iterum, in c. fin. hoc tit. ait Gregorius Papa, quòd *consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen valitura contra legem, nisi sit rationabilis &c.* si consuetudo *rationabilis*, non est, inquies, *authoritatem* aliquam habere non potest, si sit *rationabilis*, hoc ipso etiam *contra legem valebit*, consequenter vel priora vel posteriora verba *citati c.* gratis & superfluè ponuntur. Diversas solutiones ad hanc objectionem adfert Glossa *in dicto c. fin. in v. vilis authoritas*, & Panormi: *in eodem c. fin. n.* 4. mihi videtur fuisse sensus summi Pontificis, consuetudinem in prioribus verbis sumere latius pro quolibet usu longævo, qui ante cognitionem superioris habeat *authoritatem de facto* apud eos, apud quos viget, non autem *de jure*, nisi sit *rationabilis*. unde etiam propter illam authoritatem *facti*, quam habet consuetudo conra legem (dummodo

ejus irrationabilitas, & peccatum manifestum ac notorium non sit) excusantur legis humanæ transgressores à pœna fori externi, & plerumque etiam à reatu conscientiæ si communem observantiam & usum bona fide imitentur usquèdum consuetudo (*de facto* nimirum talis) à superiore tanquam irrationabilis tollatur. non malè quoque dici potest, tali consuetudini *de facto*, addi nonnunquam per accidens aliquem legis effectum propter communem hominum utilitatem; veluti si confessarii sine approbatione Episcopi exponantur ab inferioribus prælatis secundum consuetudinem loci validè absolvent, etsi supponeretur illa consuetudo esse tantùm *de facto* talis, dummodo illius validitatem populus bona fide crederet, nec esset à superiore causâ cognitâ sublata, communis enim error jus facit arg. L. *barbarius ff. de offic. præt.* & dictum est superius *p. 3. cap. 1. n. 6.*

Requiritur *tertiò* ad consuetudi-

nem

nem constituendam diuturnitas temporis, quo aliquid observatum vel practicatum est. Sed circa hoc requisitum distinguere oportet inter statum *popularem* & *monarchicum*: in statu *populari*, ubi summa imperii & potestas leges ferendi est penes populum, certum tempus non requiritur, sed sufficit populi consensus *l. de quibus. ff. de legibus. in Monarchico* autem statu, ubi superior populi est Princeps & Legislator, de Jure *Civili* sive præter, sive contra legem introducatur consuetudo *decennium* requiritur. Neque hic distinguendum est inter *præsentes* & *absentes*, sicut in præscriptione, cum populus vel civitas nunquam dici possit *abesse*. De jure *Canonico* si *præter jus* introducenda sit consuetudo *decem anni* desiderantur, si *contra* jus, *quadraginta*, sicut contra alia jura ecclesiastica *Gloss. in c. fin. Menoch. de arbit. cent. 1. casu 83.* consuetudo autem *interpretativa* legis nec jure Canonico, nec Civili certi temporis lapsum re-

quirit, sed sufficit actuum frequentia secundum certam interpretationem practicata; veluti si dubitetur in quibus consensus vel consilium Capituli ab Episcopo requiri debeat, quod in jure non satis clarè expressum est. *Menoch. d. l. n.* 10. *Panormi. in c. cum dilecta, hoc tit. n.* 7.

Cæterùm consuetudo licet jure Canonum dicatur præscripta *in d. c. ult. hoc tit. & c.* 3. *eodem in* 6. id tamen in rigore accipiendum non est, sed potius latè & impropriè, sicut de jure civili potius consuetudo *longa & longæva* vel diuturna, quàm *præscripta* dicitur, etenim in præscriptione longi temporis ordinariè *titulus* requiritur, & etiam in præscriptione longissimi temporis, si jus resistat præscribenti c. 1. *de præscript. in* 6. in consuetudine verò consensus populi & rationabilitas consuetudinis sive præter sive contra legem introducatur loco *tituli* est: quia illi tituli *empti, donati, privilegii &c.* ordinariè inter privatos tantum procedunt, to-

toti autem populo hâc facilé accommodari possunt, Imò tametsi lex haberet aliquam clausulam consuetudini adversantem V. g. *nulla imposterum valitura consuetudine &c.* tamen ex nova rationabili causa à Legislatore verisimiliter non prævisa contraria consuetudo introduci posset; quia hæc ipsa clausula juris tantùm humani & positivi est, universim autem contra legem humanam consuetudo rationabilis admittitur *in sæpe dicto c. ult. hoc tit. Panormi ibidem n.* 20. & 24. Deinde etiam in præscriptione *bona fides* requiritur, & nulla valet quanticunque temporis absque bona fide præscriptio *c. ult. de præscript.* sed cum *bona fides* nihil sit aliud, quàm *ignorantia probabilis juris alieni*, consuetudo autem cotra jus & legem superioris etiam ex certa scientia illius juris cæteris paribus introduci possit *Gloss. in dicto c. ult. in verbo. præscripta.* ideò bona fides ordinariè non requiritur, sed iterum supplet causæ rationabilitas. Il-

læ tamen leges, quæ sub peccato obligant, uti sunt leges festorum decimarum, jejuniorum &c. eatenus *bonam fidem* requirunt, ut transgressores talium legum â peccato excusentur, aliàs ex actibus illorum peccaminosis nulla induceretur consuetudo. Unde in talibus vix aliter quàm tempore immemoriali consuetudo introduci potest, attendendo scilicet non actus primorum, qui legem fortassis culpabiliter non servârunt, sed sequentium, qui bona fide imitati sunt exemplum suorum majorum, supponentes, suos antecessores legitimam causam vel remissionem ad non servandam legem habuisse *Sylv. verbo consuetudo n. 12. & Panormit. in c. 1. de Treuga & pace n. 4.*

7 *Quartò* extra statum popularem requiritur consensus superioris; cum enim consuêtudo sit lex, aliter quam cum authoritate ejus, qui habet potestatem legis condendæ introduci non potest. Sed hic quæritur, an in singulis particularibus casibus re-

quiratur scientia & tolerantia superioris, vel utrùm sufficiat consensus ille generalis, qui in utroque jure in ipso titulo de consuetudine omnibus consuetudinibus rationabilibus datus est? Veriùs & communius receptum est, hunc generalem consensum sufficere, & consuetudinem etiam ignorante superiore introduci posse: tum quod *in c. fin. hoc tit.* solùm requiratur, ut consuetudo sit *rationabilis, & præscripta, præscriptio* autem etiam contra ignorantem procedat: tum etiam ex textu *c.* 1. *de constit. in 6.* ubi dicitur, quòd Papa plerumque ignoret statuta & consuetudines locorum *Panorm. in eodem cap. fin. n.* 13. putant quidem aliqui, quòd si sciente & patiente legislatore actus contra legem fiant, tunc minùs spatium ad introducendam consuetudinem requiratur: sed id de lege aliquando *recepta* non admittit Panorm. *c. l. n.* 14. eo quòd lex recepta debeat per præscriptionem aboleri, scientia autem ejus, contra

tra quem præscribitur, de jure non minuat præscriptionis tempus. quo facit etiam textus *in c. cùm jam dudum. de præbendis.* quòd *multa per patientiam tolerentur, quæ in judicium deducta tolerari non debebunt,* admittit verò *in c.* 1. *de Treuga & pace n.* 4. *vers. ego sic distinguerem &c.* in lege *recipienda,* ita ut tunc non requiratur certum tempus, sed sufficiat binus aut trinus actus publicus in contrarium sciente & non contradicente legislatore factus, quòd hoc casu non agatur de tollenda (ubi præscriptione opus est) sed impedienda obligatione legis, quam legislator tolerans actus contrarios remisisse præsumi potest.

8 *Quintò* requiritur, ut consuetudo ante completum præscriptionis tempus, vel per ipsum populum exercendo actum contrarium etiam unicum, vel per superiorem, puniendo transgressores legis, non sit interrupta: aliàs enim post talem interruptionem inchoanda foret. Si verò

vero tempus consuetudinis jam esset completum, unus actus in contrarium non noceret, sed deberet cónsuetudo tolli eo modo quo mox dicemus *Abbas in dicto c. final. n. 19. Paul. Lay. de legibus c. ult. n. 14.*

Sextò demùm requiritur, quòd consuetudo sit circa talia, qua præscribi possùnt; sicut ergo Laici spiritualia jùra præscriptione ex defectu possessionis acquirere non possunt, ita nec consuetudine etiam immemoriali. Quare illa regula, quæ traditur à Glos. & DD. *in c. super quibusdam de verb. signif.* quod *acquisibile per privilegium possit etiam acquiri per consuetudinem vel præscriptionem temporis immemorialis*, tantùm procedit in ijs, in quibus non datur incapacitas possessionis. Plerumque etiam concurrit ad impediendam tali casu consuetudinem, quod ea rationabilis non sit, vel in detrimentum Ecclesiarum tendat. *Glos. & Panor. n. 15. in d. c. fin. hoc tit.*

Tollitur consuetudo semel legitimè

mè constituta & introducta non per unum solum actum contrarium, sed per consuetudinem aut legem contrariam. & quidem lex *generalis* tollit consuetudinem *generalem* contrariam, sed non *particularem*, quæ in uno vel altero particulari loco viget, nisi id ipsum exprimat. *per textum not. in c.* 1. *de constitutionibus in* 6. Probabiliter autem censetur satis exprimere per clausulam illam generalem: *nulla obstante consuetudine &c.* ut enim ista clausula habeat aliquem effectum, debet posse intelligi non de consuetudine generali, utpote quæ etiam sine hac clausula per legem generalem abrogatur, sed etiam de particulari, cum omnis consuetudinis sit derogativa. sicut aliàs dicere solemus, qui omne dicit, nihil excludit &c. quod tunc minus dubii habere videtur, si lex addat *nulla obstante consuetudine, privilegio vel statuto &c.* tunc enim cum statuti & privilegii (quæ particulares & privatæ leges sunt) quoque meminerit, uti-

qu

que etiam consuetudinem particularem intellexit. Cæterùm hanc clausulam, *nulla obstante consuetudine*, magis communiter DD. cum Glos. *in Clem. statutum de elect. in ver. consuetudine*, accipiunt de consuetudine præsente, quæ viget tempore novæ legis conditæ, non autem de consuetudine imposterum inducenda. Si tamen lex consuetudinem improbaret tanquam prorsus irrationabilem & *corruptelam*, tunc ex defectu rationabilitatis contraria consuetudo, nisi ex nova causa introduci non posset ut paulò superiùs in 2. & 3. requisito dictum.

§. VI.

CORONIS HUIUS CAPITIS I.

De libris & constitutionibus Canonicis, eorumque Origine & Authoritate.

Pro Coronide hujus Cap. 1. mihi visum est, post generalem

lem legum cognitionem, in specie aliqua de legibus Canonicis seu Ecclesiasticis annectere, quænam sit illarum authoritas & obligatio, ut qui vel legendo in istos canonicos libros incidunt, vel quibus ex illis dubia proponuntur, (sicut in utroque foro versantibus frequentissimè accidit) sciant errorum pericula declinare.

Summaria.

1. *Ius Canonicum quid?*
2. *Quæ ejus origo?*
3. *Corpus juris Can. habet 6. partes.*
4. *De decreto gratiani.*
5. *Qualem authoritatem habeat, disputatur latè.*
6. *De paleis.*
7. *Alij antiquiores Gratiano SS. Canon. Collectores.*
8. *Decretales Greg. IX. eorumque divisio, materia, & oblatio.*
9. *Sextus decretalium.*

10. *Clementinæ & extravagantes.*
11. *Septimus decretalium, & quænam ejus authoritas.*
12. *De Concilio Trid. & an obliget, ubi non receptum.*
13. *Bullarium & ejus authoritas.*
14. *Regulæ Concellariæ.*
15. *Declarationes Cardinalium.*
16. *Debent habere 3. requisita, ut obligent.*
17. *Rota Romana, & ejus authoritate.*
18. *De Canonum contrarietate.*
19. *De confœderatione & contrarietate Iuris Canon. & Civilis.*

IGitur jus Canonicum si nominis Ethymon spectes à græca voce Canon quæ regulam significat denominatum est *c.* 1. *dist.* 3. unde definiri solet Jus Canonicum, quod sit jus ex sacris Canonibus id est regulis Ecclesiasticis collectum, & ad rectè vivendum æternamque salutem acquirendam institutum.

Porrò prima origo Canonici Juris non ineptè à Deo desumi posse videtur, qui primus præcepta Decalogi, aliasque rectè vivendi regulas hominibus præscripsit, quas deinde summi Pontifices in suis Canonibus cir-

circa singulos casus & hypotheses latius exposuerunt. V. G. præceptum divinum est, *non occidere, non furari, usuras non exercere &c.* sed quando & qualiter in singulis factis contra hæc præcepta peccetur, & peccatum puniendum sit, Canones declararunt; ut propterea non immeritò studium juris Canonici *studium divini juris* appelletur *in c. 2. de privilegijs in 6.* Canones autem isti jus Divinum declarantes, & reliqua ad gubernationem Christiani populi pertinentia statuentes in nova lege primum ab Apostolis introducti, & Clemente primo Romano Pontifice (qui sedit circa annum Domini nonagesimum primum) in unum congesti, ac Canones Apostolorum nuncupati sunt, ijque in decreto Gratiani ad finem ponuntur. Postea successores Apostolorum SS. Pontifices alias & alias constitutiones, & sanctiones Canonicas addideruut, quibus corpus nostrum *Iuris Canonici* compositum est, cui novissimè Concilium Trid. & Bullarium accessit. Ad

Ad *Corpus juris Canonici* quod attinet facile patebit inspicienti, illud dividi in 6. partes : videlicet in *Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. Sextum Decretaliũ Bonifacii octavi. Clementinas Clementis V. Extravagantes Ioannis 22. & demùm Extravagantes communes.*

Decretum Gratiani à suo Authore Gratiano Ordinis S. P. Benedicti ex Monasterio S. Fœlicis Bononiensis nomen traxit qui anno 1150. tempore Eugenii tertii hoc opus ex diversis summorum Pontificum & Conciliorum decretis SS. Patrum scriptis, Imperatorum etiam legibus & sanctionibus compilavit, ac *Concordiam discordantium Canonum* appellavit. Solet Gratianus in hoc suo opere dubias quæstiones ab initio proponere, & pro utraque contradictionis parte diversas authoritates adducere, atque in fine conciliare; ut cautè adverten-dum sit legenti, ne indifferenter de-cisionem firmam ex primis occuren-tibus Capitulis desummat, sed

etiam

etiam reliqua diligenter perlustret.

Constat *Gratiani Decretum* ex 4. partibus, prima pars habet 101. *distinctiones* divisas in *Canones* sive *capitula*, ex qua parte sic allegari solet, *c. omnes leges distinctione* 1. secunda pars continet 36. *causas* (id est casus & controversias juridicas) divisas in *quæstiones*, subdivisas in *capitula*, ubi citandi modus talis est *c. si. quis suadente. causâ* (quod vocabulum tamen plerumque omitti & subintelligi solet) 17. *q.* 4. Tertia pars est tractatus de *pœnitentia*, qui includitur in causa 33. q. 3. & habet 7. *distinctiones*, divisas in *capitula*, ex quo loco talis est citatio *c. cogitationis. distinctione* 1. *de pœnitentia*, quæ ultima verba ad differentiam primæ & ultimæ partis etiam *in distinctione* divisæ adduntur. Quarta denique pars decreti tractat *de Consecratione*, continet 5. *distinctiones*, divisas in *Capitula*, citatio fit hoc modo. *c. solemnitates distinctione* 1. *de consecratione*.

Cle-

Circa hanc primam juris Cano- 5
nici partem non levis est inter DD. altercatio, qualem in scholis & utroque foro authoritatem habere debeat? quidam existimant, cum hoc opus à privato Doctore privatâ tantũ industriâ compositum sit, non majorem habere authoritatem, quàm cuiuscunque alterius Doctoris nominati, scilicet *probabilem* tantùm, cui Magister in schola, vel Iudex in foro sive externo sive interno inhærere necessariò non teneatur, si putet pro suâ sententia in contrarium meliores esse rationes, & juris fundamenta: nec allegationes Canonum Pontificalium in eo esse infallibiles nisi quatenus cum originali, unde desumptæ sunt, correspondeant, siquidem plurimos errores in hoc Gratiani volumine præter Felinum *in c. 2. de rescriptis n. 43.* alij passim adverterint. Neq; obstat huic primæ opinioni, quod *Decretales Gregorii IX.* à Reymundo ejusdem Pontificis Capellano & pœnitentiario, 4. *libri in-*

stitu-

stitutionum imperialium à Tribonia-no Theophilo & Doro:heo Magi-stris & DD. (ut notat Gothofredus *in proemio Institutionum* §. 3. *verbo an-tecessoribus*) compositi sint, qui ta-men libri indubitanter legis obtinent authoritatem : etenim isti libri non ab his privatis compilatoribus, sed à Pontifice & Imperatore, quorum jussu & mandato compositi sunt,) ut ex proemiis Decretalium & Institu-onum, apparet,) suam authoritatem desumunt, qualem authoritatem Gratiano in componendo suo libro non constat datam fuisse. Ita etiam antiquitùs certi Iurisperiti & DD. fuerunt, quibus ab Imperatore au-thoritas *de jure respondendi*, & dubi-as quæstiones decidendi dabatur, eorumque decisiones *Responsa Pru-dentum* dicebantur, & pro Lege cu-stodiebantur. §. 8. *Inst. de jure Nat. Gent. & Civ.* ex quibus *Prudentum Responsis* 50. digestorum libri repleti sunt. cæteri verò DD. qui talem po-testatem à summo principe non ha-

bent,

bent, per suas responsiones jus aliquod facere non possunt, sed tantùm præexistens allegare, & probabilibus rationibus confirmare.

Alii directè contrarium sentiunt existimantes, totum hoc *Gratiani Decretum* esse authenticum, & vim legis obtinere; idque non tantùm usu scholarum & judiciorum, sed etiam ab ipsis summis Pontificibus, qui illud in suis posterioribus constitutionibus allegarunt, pro tali habitum esse *arg. c. cum apostolica. de his, quæ fiunt à Prælatis. c. per tuas de sent. excom. Clem. 1. ibi. secundum formam in decretis &c. de jure jurando.*

Et quod Decretum Gratiani antè hàc multis erroribus depravatum opera Cardinalium & aliorum doctissimorum virorum à Sede Apostolica ad id deputatorum vetustissimis Codicibus undique conquisitis, authoribusque ipsis, quorum testimoniis usus erat Gratianus, per lectis emendatum & perfectum red-

ditum ac diligentissimè retineri jus-
sum sit, extant litteræ Papales Gre-
gorii XIII. hodie ad principium
Decreti impressæ.

Sed communiùs receptum est,
quod cum pluribus citatis tradit Bar-
bosa in *collect. DD. ad præmium De-
creti n. 6. & seq.* ut hæ duæ inter se
pugnantes sententiæ per tertiam me-
diam aliqualiter concilientur, & di-
catur, non constare quidem, quo
Decreto Gratiani universim author-
tas legis attributa sit, propter emen-
dationem tamen & approbationem
Pontificis Gregorii XIII. mereri i-
dem, quod Canones ibidem allegat
cum suis originalibus sine errore ac
falsitate correspondeant: de reliquo
autem eos Canones *revocari ad pri-
mævam authoritatem*, id est, illam
quam à suis conditoribus accepe-
runt.

Quare si Gratianus referat *sum-
morum Pontificum vel Conciliorum ge-
neralium constitutiones*, illæ habe-
bunt authoritatem legis, seu *desi-*
sva-

suam, si referat *leges civiles* & constitutiones Imperatorum, illæ eatenus in foro Ecclesiastico observandæ erunt, quatenus supplent defectum juris Canonici, & non contrariantur immunitati Ecclesiasticæ; si *propriam sententiam* ponat Gratianus ea probabilis solummodo habebitur; si *dicta SS. Patrum* v. g. Ambrosii, Hieron. Augustini adducat, magnæ quidem authoritatis, non tamen absolutè infallibilia & decisiva censebuntur, nisi quatenus à SS. Pontificibus recepta & approbata sunt, cum in materiis disputabilibus & judicialibus sancti Patres plerumque ut privati DD. locuti, & sæpius sibi invicem contradicentes fuerint, ut *exc. 1. & 2. dist. 26.* ac pluribus aliis locis apparet.

6 Speciale dubium est, quid statuendum de illis Canonibus Decreti, qui *paleæ* inscribuntur? quid denotetur per hoc vocabulum *paleæ*, & qualem hi Canones nullius certi authoris potestatem habeant, di-

versi diversa sentiunt. Quidam hoc nomine res viles & inanes, alii ex Græco *Ta palaja*, id est, *antiqua*; alii *additiones* à græco adverbio *palin*, quod *rursum* significat, denominari putárunt; alii à suo authore, quem ajunt *Protopaleam* Cardinalem dictum fuisse, qui hos Canones Decreto Gratiani adscripserit, derivant. Sed hac in re observandum est, quod traditur in *Præfatione* ad Decretum Gratiani circa finem, has *paleas* in quibusdam vetustissimis Decreti exemplaribus non extare, ex eoque colligi posse, esse *additiones* non eodem tempore factas sed a primam collectionem Gratiani margine primum adscriptas, ac non nullas fortassis ab ipsomet Gratiano quas deinde librariorum quidam o miserint, quidam in contextu po fuerint, interdum conjunctas cum prioribus capitibus interdum sepa ratas. falsam verò esse illorum opinionem, qui has *paleas* tanquam leges contemnendas putant, ex

constat, inquit citata *Præfatio*, quod multæ in Decretalibus & apud vetustiores Gratiano collectores habeantur. ut propterea non incongruè utrâque supra positâ Græca derivatione & significatione retentâ *paleæ rerum antiquiorum additiones* dici posse videantur. quod item *paleæ* de rebus levibus non sint, legenti facilè patebit, pro ut in specie *palea*, quæ est *in c.* 13. *&* 14. *dist.* 96. totum Regnum Romani Pontificis Sylvestro Papæ à Constantino Imperatore donatum concernit.

Dixi sæpe memoratas *paleas* apud *antiquiores* Gratiano Collectores haberi: nã hic obiter adnotandũ multis temporibus ante Gratianũ fuisse aliquem Codicem Canonum de quo fit mentio *in c.* 5. *distinctione* 19. & alias Papalium Constitutionum collectiones factas ab Isidoro Burcardo Vormaciensi: Ivone Carnot: Episcopo Anselmo & aliis; sed isti præcipuè in colligendis Decretis & Constitutionibus laborârunt: Gratianus verò

deinde præter collectionem Canonum dissensiones operam impendit, ut *in cit. præfat.* habetur.

8 Secunda pars Corporis Canonici sunt *Decretales* jussu Gregori IX. à Raymundo ejusdem Pontificis Capellano & pœnitentiario (quem ex Ordine Prædicatorum post obitum à Clemente octavo in Sanctorum numerum relatum fuisse refert Barbosa *ad prooemium decretalium n.* 4.) conscripti sunt. Isti decretales libri á *decernendo* sive statuendo sic dicti constant potissimum ex *Decretalibus epistolis*, quas diversi summi pontifices in dubiis quæstionibus juris interrogati se consulentibus rescripserunt, quæ jam in Corpus juris relatæ authoritatem publicæ & universalis legis obtinent, ad eum modum, quo Codex Iustinianæus in Corpore Juris Civilis majori sua parte ex diversorum Imperatorum ad dubios Iuris articulos rescriptis compilatus est.

Dividuntur autem *Decretales in* 5. *libros*, libri in *titulos*, & tituli in

Ca-

Capitula. In citatione initium vel numerus *capituli & titulus* allegatur, ex. g. *c. Venerabilem. de electione. qui* titulus in quo libro, & quoto ejus libri numero sit positus, in proprio *indice titulorum*, qui ad principium decretalium habetur, inquirendus est.

Antiquitùs quando soli erant *Decretales* Gregorii IX. iique separatim, & *extra Decretum* Gratiani, semper ad allegationem tituli solebat addi hæc particula *extra* V. g. *c.* 1. *extra de electione*: & in typo notari hoc signo X, quæ particula etiamnum hodie quando in uno Corpore Juris sunt *Decretum & Decretales*, non nunquam usitari solet, & propriè Decretales Gregorii IX. ad distinctionem aliarum partium indicare, quod observandum, ne quis existimet, per illam particulam *extra* Extravagantes significari.

Materiam *Decretalium* Glossa prœmialis memoriæ causa sequentibus versiculis comprehendit.

Pars prior officia parat, Ecclesiæque ministros. Altera dat testes, & cæteri judiciorum: Tertia de rebus, & vitâ Presbyterorum, Quarta docet, quales sint nexus conjugiorum, Quintaque de vitiis, & pœnis tractat eorum. Et brevius hoc versiculo *Iudex, judicium, Clerus, sponalia, crimen.*

Etenim in libro primo *Decretalium* postquam S. Pontifex de *constitutionibus, Rescriptis, & consuetudine*, adeoque in genere de obligatione Iuris scripti, & non scripti, sive consuetudinarii præmisit, mox tractat *de electione Prælatorum, Ordinatione Clericorum, potestate & jurisdictione Iudicum ordinariorum, delegatorum & arbitrorum, pactis* etiam *transactionibus & restitutionibus judicialibus.* In secundo libro totus *Processus judiciarius* in 1. & 2. instanti traditur, qui propter bonum ordinem & æquitatem in utroque foro tam sæculari quàm Ecclesiastico observatur. In lib. 3. agitur de *vitâ Clericorum, de beneficiis Ecclesiasticis,*

feudis, & plerisque contractibus tam super rebus Ecclesiasticis, quàm profanis & Laicalibus, item de decimis, sepulturis aliisque juribus & immunitatibus Ecclesiarum. In quarto causæ & quæstiones *matrimoniales* deciduntur. In quinto denique diversa *delicta* cum modo *accusandi, inquirendi, ac puniendi* recensentur. Quæ omnia in utroque foro versantibus scitu utilissima & necessaria sunt.

Tertia pars inscribitur *sextus Decretalium*, quod post 5. libros Decretalium Gregorii IX. in lucem editus sit à Bonifacio octavo summo Pontifice. Subdividitur etiam in 5. libros, quorum tituli habent easdem rubricas & materias, quas *Decretales* Gregorii IX. id quod etiam in sequentibus, scilicet *Clementinis & Extravagantibus* observatum est. citatio ex hac parte fit, ut citetur initium vel numerus c. & titulus cum addito in 6. ex. g. c. *ut animarum. de constitutionibus in 6.* 9

Quarta pars sunt *Clementinæ* sic

10dictæ, à suo Authore *Clemente* 5. hujus nominis Pontifice, qui multas constitutiones tum in Concilio Viennensi in Gallia, tum etiam ante & post illud Concilium à se editas in unũ congessit Volumen: quod tamen morte præventus in lucem edere non poterat, Quare Ioannes 22. ejus successor dictas Clementinas evulgavit, & Apostolica authoritate pro judiciis & scholis roboravit, ut patet *ex proœmio Clementinarum*. Continentur autem *Clementinæ* in 5. libris divisis in *titulos* & *capitula*; ad differentiam priorum additur citationi *in Clementinis*, vel loco capituli ponitur *Clementina* V. g. *clementina Romani de jure jurando.*

Quinta & sexta pars Corporis Canonici sunt *Extravagantes Ioannis 22.* & *Extravagantes communes*, sic dictæ, quod antehac *extra* Corpus Juris incerta quasi sede *vagarentur*, & licet postea juxta ordinem librorum & titulorum, qui habetur in Decretalibus Gregorii IX. in Corpus Iuris redactæ

dactæ sint, pristinum tamen nomen retinuerunt. citandi modus rursus talis est, qui in *Clementinis*, ut vel addatur *in extravagantibus. Ioannis 22.* aut *inter communes.* vel loco *capituli* ponatur *Extravagante*, cum addito, *Ioannis 22.* vel *inter communes.* Istæ Extravagantes, quamvis non satis constet, an alicujus summi Pontificis decreto publicatæ, & in corpore Iuris circumferri mandatæ sint, quia tamen sunt decisiones diversorum summorum Pontificum, famosorum Iurisconsultorum Romanorum Glossis & notis illustratæ, & à multis temporibus possessionem in Corpore juris acceperunt, passim apud DD. pro authenticis habentur.

Novissimè in lucem prodiit, & in recentioribus exemplaribus corporis Canonici annexus est *septimus Decretalium*, operâ (ut testatur ejusdem libri præfatio) Petri Matthæi Iurisconsulti Lugdunensis, qui varias bullas & constitutiones Pontificias congessit, & secundùm formam De-

cretalium in *libros* ac *titulos* digessit. Porrò hoc opus etsi meras constitutiones Pontificias contineat, quia tamen sine mandato aut approbatione alicujus summi Pontificis privatâ tandem industriâ non ita pridem editum est, non censetur ex omni parte *authenticum*. Nam hujusmodi *Extravagantes bullæ*, quas non constat debito modo promulgatas, vel in usum deductas fuisse, vel an cum suis originalibus in omnibus & per omnia (una enim aliquando particula omissa maximæ considerationis esse potest) correspondeant, in rigore non obligant, nisi producantur in forma authentica cum plumbo & subscriptione; per ea, quæ notantur in procœmio Clementinarum ad finem, & tradit Franciscus de pavinis *in præludio ad Extravagantes Ioannis 22. versiculo debent autem.*

Extra Corpus Iuris plures alii libri sanctiones Canonicas habentes extant: scilicet *Concilium Trid. Bullarium, Regulæ Cancellariæ, Declara-*

tio

tiones Cardinalium & Decisiones Rotæ Romanæ: de quorũ singulorum authoritate breviter etiam aliqua dicemus. 12

Concilium Trid. sub tribus summis Põtificibus scilicet Paulo III. Julio III. & Pio IV. in Spiritu S. legitimè congregatum de anno 1546. usq; in annum 1564. continuatũ plurimas Ecclesiæ Catholicæ & toti Christianitati saluberrimas ac maxima maturitate deliberatas constitutiones tum articulos fidei, tum morum reformationes concernentes complectitur, & propterea non est dubium, quin legis universalis authoritatem obtineat: Et cum omnia exemplaria Concilii ubilibet impressa sint uniformia, meritò eis fides tribuitur.

Quòd verò dici solet, Decreta Concilij, quæ non sunt *Dogmatica*, & fidem concernentia, non esse ubiq; *recepta*, id quidem de facto verum est, an autem etiam de jure procedat, dependet ab eo, an in tali loco, ubi non receptum dicitur Concilium, fuerit illud debitè aliquando promulga-

gatum, an justa causa non recipiendi, an consuetudo in contrarium non fit potius corruptela, & ad malos mores inducens: qua de re superius *de constitutionibus & consuetudine*, ubi de promulgatione, receptione,& abrogatione legum tractatum. Sanè nonnulli frequenter in materia sibi favorabili & aliorum præjudicium in jure ex privilegio vel præscriptione quæsito concernente aliis seriò Concilium Tridentinum inculcant, & si ipsimet ex eodem Concilio Tridentino super aliis causis redarguantur, mox id non esse receptum ac stylum & praxim curiæ in contrarium reponunt. Sed hi melius observare deberent illud juris axioma, quod habetur *in lib. 2. ff. t. 2. quod quisque juris in alterum statuit, ut eodem ipse utatur*, neque enim Legislator censendus est, unum potius quàm alterum obligare voluisse.

Bullarium Romanum seriem omni-

rium summorum Pontificum, eorumque diversas bullas & constitutiones complectitur, primum operâ Laërtij Cherubini Iurisconsulti Romani compilatum, deinde ab Angelo MARIA Cherubino ejus filio Monacho Cassinensi tempore Urbani VIII. cum novissimis Bullis denuò editum. Est quidem hoc opus Urbano VIII. dedicatum, ut in præfatione ad Lectorem refertur, & quod ductu & auspicio Sixti V. Laërtius Cherubinus id primum evulgârit, sed nulla apparet expressa & authentica alicujus summi Pontificis approbatio, vel de eo recipiendo decretum, nisi in principio libri solùm privilegium Urbani VIII. concessum Biblipolæ, ne hoc Opus aliquis sine ejus licentia imprimat aut vendat, quod utique nullam specialem authoritatem libro tribuit; aliàs etiam *Praxis criminalis Prosperi Farinacij*, de qua idem privilegum loquitur, authoritatem consequeretur, & omnes libri, qui Romano Pontifici dedi-

dicantur, vel ejus hortatu in lucem eduntur, aut simile privilegium typographicum ab Imperatore vel Pontifice habent, inter Canonicos & legales libros numerandi forent, quod haud dubiè nemo concederet, quare ego existimo, bullis in *Bullario* contentis posse quidem in scholis probabilem fidem adhiberi, cæterùm autem censeri nomine *Extravagantium*, quæ in judiciis, ubi de rebus magni momenti, & præjudicij ageretur, non aliter facerent plenam probationem, quàm si ab allegante in authentica forma producerentur; per ea, quæ superius de authoritate *Septimi Secretalium* diximus.

Regulæ Cancellariæ sunt, certæ quædam constitutiones Pontificiæ majori ex parte causas beneficiales concernentes, quas primus omnium Joannes 22. dedisse, & hoc nomine appellâsse dicitur, easdem deinde Successores Pontifices auxerunt, & declarârunt. harum natura est, ut cum morte summi Pontificis ex-

spi-

spirent, & nullam vim habeant, Sede Papali vacante (quod secùs est in alijs legibus & Canonibus, qui etiam post mortem Legislatoris durant) sed à quolibet novo Pontifice reassumuntur, & renovantur.

Declarationes Cardinalium à S. 15
Congregatione Cardinalium Concilj Trid. Interpretum proficiscuntur. cum enim experientia doceat, per diversas Glossas textum frequenter confundi, & contra mentem Legislatoris explicari, S. Pontifiex Pius IV. in bulla confirmatoria Concilij Trid, graviter sub censuris, Prælatis quidem sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam, aliis verò quibuscunque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ probibuit, ne quis sine authoritate & licentia S. Pontificis audeat ullos Commentarios, glossas, annotationes, vel quodcũnque interpretationis genus in dictum Concilium Trid. edere, statuit verò ut controversiæ & dubia inde oriunda ad Sedem Apostolicam pro declara-

claratione & decisione deferantur, ad quam declarationem faciendá postea Congregatio Cardinalium erecta est.

De istarum porrò *Declarationum* authoritate graves DD. inter se dissentiunt: quidam *probabilem* tantùm & *doctrinalem* asserunt, atque ad summum habere vim *decisivam* in casu illo particulari, qui fuit sacræ Congregationi propositus, & respectu illarum personarum tantùm quæ proposuerunt. Alij rectiùs *Declarationibus Cardinalitiũ* authoritatem *legis universalis* adscribunt, & *Responsis prudentiũ*, quibus olim à Principe dubias juris quæstiones decidendi potestas data fuit §. 8. *I. De I. N. G. & C.* Non enim credibile est, quòd summus Pontifex nõ majorem potestatem dederit Cardinalib⁹, quam illam, quá habent privati classici DD. qui per suam doctrinam possunt sententiam probabilem constituere, neque opus uisset Collegium Cardinalium instituere, Glossas & Commentarios in Concilium Trid. prohibere, si relicta de-

declaratione Cardinalium, tanquam solum *probabili* non *necessariâ*, liceret cuilibet privato Doctori aliam confingere. Interim tamen, ut hæ *Declarationes Cardinalium* vim legis obtineant, tres potissimum conditiones concurrere debent. *prima* est, ut fiant consulto S. Pontifice. quia Sixtus V. in facultate interpretandi Concilium Congregationi Cardinalium concessa expressè addit clausulam, *nobis tamen consultis &c. secunda*, ut Cardinales solum *declarent*, & interpretentur, non verò dispensent, aut ultra verborum proprietatem legem augeant, nisi desuper habito speciali mandato S. Pontificis, cujus specialis mandati etiam in delaratione mentio inseratur, sicut hanc formam Pius V. & Greg. XIII. in suis bullis Congregationi præscripserunt. *Tertia*, ut appareant *in authentica forma* cum solito sigillo & subscriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarij ejusdem Congregationis. Nam quia compertum est, plurimas falsas *Declara-*

rationes, & non nunquam in eadem quæstione sibi contrarias circumferri, mandavit Urbanus VIII. ne *Declarationibus Cardinalium* sive impressis sive manu scriptis fides adhibeatur in judicio vel extra, nisi ut præmissum in authentica forma appareant. Qua de re videri poterit Barb. *Jur. Eccles. univ. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 81. & *seqq.* & alii apud eundem citati. Quod si *Declarationes* omnia prædicta requisita habeant, licet ad instantiam particularium personarũ emanârint, nihil ominus pro lege communi ac declaratione legis observandas esse sicut alias summorum Principum in causis particularibus controversis decisiones rectè docet Garc. *de benefic. 2 in præmio* & probant textus notabiles *in c. in causis* 19. *de sententia & rejudicata & in L. ultima. in princip. C. de legibus.*

17 *Rota Romana* est summi Pontificis in causis litigiosis tribunal sive judicium. *Rotæ decisionibus* non nulli authoritatem legis communis adscri-

bunt,
in L.
ipsius
ejus a
causis
sionu
Uerù
summ
autho
Rotæ
ptum
Pavin
Ioanni
Decisio
dem j
sed no
ces pr
judica
fundar
sunt, s
magis
contra
c. pasto
ultima
in c. in
us Pri

bunt, & textus in *citato c. in causis & in L. ultima* non tantùm de decisione ipsius Principis, sed etiam Senatus ejus accipiunt *Barb. in eodem c. in causis n. 3. Gutyrez practicarum quæstionum lib. 3. q. 16. n. 74. & alij.* Uerùm extra statum & territorium summi Pontificis, quamvis magna authoritas tribuatur decisionibus Rotæ Romanæ, potius tamen receptum est, quod docet Franciscus de Pavinis *in præludio extravagantium Ioannis 22. versiculo decisiones.* quòd *Decisiones Rotæ Romanæ* faciant quidem jus inter ipsas partes litigantes, sed non jus universale, nec allii Judices præcisè secundum eas teneantur judicare, nisi quatenus meliora juris fundamenta aliunde adduci non possunt, sed habeantur pro decisionibus magistralibus, imò ipsa Rota sæpius contra eas judicet teste Cardinale *in c. pastoralis de fide instrumentorum in ultima q.* quia præcitati juris textus *in c. in causis, & in L. ultima,* de ipsius Principis non Senatus ejus, vel Vica-

Vicarii Judicis decisione loquuntur. Subinde tamen si super eadem juris quæstione uniformes, & sæpius repetitæ sint *Rotæ* decisiones faciunt consuetudinem, & stylum in curia Romana. *L. cum de interpretatione ff. de legibus.* Quod verò in fine *citati præludij* additur, tales uniformes Rotæ decisiones extra curiam Romanam haberi pro *Responsis Prudentum*, haud facilè concederem: Quia non constat in forma authentica, quod summus Pontifex judicibus *Rotæ* dederit potestatem, jus aliquod novum condendi, qualis olim *Prudentibus* à Principe data fuit. prout in simili de decisionibus Cameræ Imperialis Spyrensis communiter sentiunt DD. quod Assessoribus Cameræ ab Imperatore fuerit data potestas *secundum leges* judicandi, non verò novas faciendi. Interim nisi Iudex consideratis particularibus circumstantiis causæ coram se agitatæ habeat valde urgentes rationes, & aliorum DD. authoritatem in contrarium, non debe-

ret facilè á decisione & præjudiciis tantorum tribunalium recedere.

Hactenus de libris Canonicis eorumque authoritate dictum. Quod si in recensitis juris Canonici partibus constitutionum *antynomia* sive contrarietas reperiatur, eaque sit in unius Pontificis seu Authoris compilatione V. g. si uterque contradicens Canon sit in *Decretalibus* vel in *Sexto* aut *Clementinis* per congruam interpretationem conciliatio facienda est, quia in una eademque legum compilatione non debet esse contrarietas *L. 1. §. contrarium C. de vet. jure enucl.* & notat Glossa *in præmio Decretalium, verbo contrarietatem*. nisi Canon expressè terminos correctorios alterius Canonis habeat, sicut in *c. 2. & 3. de censibus in 6.* si verò inter priores & posteriores sit contrarietas v. g. inter *Decretales & Sextũ & Clementinas & c.* eaq; manifesta sit, stabitur posteriori decisioni, quia jus posterius derogat priori *c. ult. in prin. de sent. excom. in 6.* si dubia sit contrarietas, quæ commo-

moda aliqua interpretatione salva verborum proprietate ac ratione recti sermonis conciliari possit, expedit jura juribus concordare, ut evitetur jurium correctio, & contrarietas. *c. cum expediat. de electionibus in 6.*

Præterea cum inter jus Canonicum & Civile, quandoque conscederatio quandoque pugna sit, pro ejus rei notitia sequentes regula communiter à DD. traduntur. *Prima*, quoties casus aliquis dubius est, in jure Civili, jure autem Canonico clare decisus, hæc Pontificii juris decisio etiam in foro Civili observanda est.

Secunda econversò, si quid juris Canonico dubium & obscurum (sicut præsertim circa contractus & pacta perpaucæ sunt in Canonibus decisiones) Iure autem Civili clarum, ejusque materia sit profana non spiritualis, in foro Ecclesiastico etiam juri Civili locus est. Utraque hæc regula confirmatur *ex c. 1. C. de novi operis nunciat* ubi summ

Pontifex ait: *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur.* Imò quandoq; etiam in materia spirituali leges in foro Canonico procedunt, non tamen aliter, quàm si expressè à SS. Canonib⁹ recipiantur. sicut superius *l. 3. c. 5. sect. 4. n. 9.* de cognatione *Legali*, quæ oritur ex adoptioone, & constituit impedimentum dirimens matrimonium, pluribus explicatum.

Si ergò tanta fit inter Ius Canonicum Civilè confœderatio, mirabitur fortassè nonnemo, cur *in c. ult. ne Clerici vel Monachi &c.* sub pœna excommunicationis interdicatur personis Ecclesiasticis studium juris Civilis? ℣. id intelligi de tali studio, quod abstrahit à vita Ecclesiastica, & fit intentione subeundi munéra & officia sacularium Advocatorum, vel Judicum, non autem quod fit in ordine ad perfectam juris Canonici intelligentiam *Ioan. Hon. in dict. t. ne Clerici vel Monachi n.* 10. ad majo-

rem tamen cautelam Universitates solent à S. Pontifice expressum privilegium admittendi Clericos ad publicas legum civilium lectiones impetrare, quale etiam huic nostræ Universitati concessum est.

Tertia regula est, si inter jus Canonicum & civile sit pugna & contrarietas, vel diversitas, eaque sit de re profana, nec attingat conscientiam, vel peccatum, ut circa solemnitates testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorumquè similium actuum, *quodlibet jus in suo foro servandum est*, nimirum in terris summo Pontifici subjectis Ius Canonicum, in terris Imperii sæcularis Ius Civile *cum ad verum. dist. 96.* In causis tamen Clericorum etiam temporalibus & extra territorium Romani Pontificis Iuri Canonico est insistendum *c. quod Clericis. 9. de foro compet.* sed hic textus juxta singularem interpretationem Barbosæ *in eodem c. 9. n.* non procedit eo casu, quo Clericus actor convenit Laicum coram judi-

sæculari, quo casu, sicut Clericus actor forum rei Laici, ita etiam ejusdem fori leges sequi debet, ut proinde illa verba *in c. 9.* posita, *si Clerici contra aliquos vel aliqui contra ipsos causas habuerint, &c.* intelligantur in eum sensum, si Clerici Parisienses (de quibus illud cap. inscriptum est) contra aliquos alios Clericos coram Iudice tamen Ecclesiastico actionem instituant.

Quarta regula est ubi *de re conscientiæ, & materia peccati* agitur, si inter Ius Canonicum & Civile differentia sit, *tenendum est jus Canonicum etiam in terris Imperii.* quidquid enim sit de illa quæstione, an S. Pontifex absolutè sit major & superior Imperatore, quam tractant Interpretes *ad c. solitæ. de majorit. & obed.* certè universi Catholici DD. fatentur saltem in spiritualibus & ubi de salute animæ agitur S. Pontificis Iurisdictionem tanquam Christi Vicarii, & communis animarum pastoris etiam in terras imperii & totum mundum extendi. *text.*

in d. c. solitæ. versi. quod autem. & in c. novit. de judicis. Clem. Vnam sanctam. De majorit. & obed. Exemplum ad hanc regulam est *in c. ult. de præscript.* ubi corrigitur Ius Civile permittens præscriptionem longissimi temporis cum mala fide. *In c. ult. de sepult.* & in *c. in litteris. de raptoribus.* ubi statuitur, heredes defuncti, qui aliis in vita damnum intulit ad exonerandam conscientiam ejus, (neque enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum *c. peccatum. de reg. juris in 6.*) teneri juxta vires hereditatis ad le devolutæ illud damnum resarcire, contra leges civiles, quæ non obligant heredem ad damnum à defuncto datum, nisi in quantum ex tali damno V. g. furto aut rapina ad eum pervenit, vel lis cum defuncto jam contestata fuerit *L. unica C. ex delictis defuncti &c.* Denique ut plurima alia exempla quæ in diversis titulis occurrunt, prætereamus, leges Civiles permittentes impunè concubinatum *l. 1. t. ff. & C. de Concubinis. & in Nov.* 18. per

18. per SS. Canones abrogatæ sunt. c. audite. 6. dist. 34. & qualiter adversus concubinarios locorum Ordinarii per censuras & invocationem brachii sæcularis procedere debeant, traditur in Concilio *Trid. Sess. 24. de reform. c. 8. & Sess. 25. c. 14.* non obstat *c. is qui. & c. Christiano. d. 34.* ubi ex sententia antiquorum Patrum Christiano una tantum aut uxor aut concubina permittitur: quia ibi nomine *concubinæ* non intelligitur scortum (quod Sancti Patres contra prohibitiones Iuris divini permittere utique non potuissent) sed uxor ducta quidem per verum consensum matrimonialem (qui ante Concilium Trid. absque alia solemnitate sufficiebat ad valorem matrimonii *c. is qui. de sponsalibus*) at clandestinè sine dotalib⁹ instrumentis, qualis uxor in foro externo, ubi de matrimoniali consensu legitimè non constabat, concubina præsumebatur *arg. c. aliter. 30. q. 5.* & dicebatur: ut in annotatione *in dicto c. is qui. dist. 34.* rectè exponitur.

Quinta regula est, *in materia Spirituali & Sacramentorum* neglecta dispositione juris Civilis *universim ad Ius Canonicum recurrendum est.* hæc enim tractare & definire non ad sæcularem sed Spiritualem & Ecclesiasticam potestatem pertinet. *c. decernimus. de judiciis.*

Quare licet jure civili invalidum sit matrimonium quod filiifamilias contrahunt sine consensu parentum in quorum potestate existunt. *L. nuptiæ. 2. & 18. ff. de ritu nuptiarum.* Iure tamen Canonico & Concilii Trid. *Sess. 24. de reform. matrim. c. 1.* si non simpliciter licitum, saltem validum pronunciatur. pro ut superius *p. 3. c. 5. §. 3.* expositum.

Sexta regula est, quòd *leges Civiles disponentes de personis & rebus Ecclesiasticis ex defectu Iurisdictionis invalide reputentur*, tametsi favorem Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum concernant, *c. denique cum seq. dist. 96. c. Ecclesia. 10. de constit.* etenim personas Ecclesiasticas & res earum

rum jure divino à secularium dominorum potestate exemptos esse, apertè à summis Pontificibus, & Conciliis Universalibus (quibus utique competit de jure divino cognoscere) declaratum est *in c. nimis. de jurejurando. c. quamquàm. de censibus in 6. & in Concilio Trid. Sess. 25. de reform. c. 20.* quòd prolixè tractat Martha *de Iurisdictione parte 2. c. 6.*

Dixi tametsi leges civiles Ecclesiis *favorabiles* sint, ne prætextu favorabilis constitutionis Principes & potestates sæculares Iurisdictionem in Ecclesiasticos usurpent, *d. c. Ecclesiæ.* sed hoc ita accipiendum est, si lex *favorabilis* contineat aliquam obligationem, sive mandatum & Iurisdictionis speciem. prout *in l. jubemus C. de SS. Eccles.* de alienatione bonorum Ecclesiasticorum. in *l. sacris* 47. *C. de Episcopis & Cler.* de electione Abbatum statuitur, & forma præscribitur. quæ leges non aliter vim habent quàm quatenus à SS. Canoni-

bus receptæ sunt. At verò si leges nullam habeant annexam obligationem, sed sint merè favorabiles, & pura privilegia, non est dubium, quin valeant & subsistant, ne quòd in favorem Ecclesiarum est introductum, quod legibus sæcularium non subjaceant, in earum odium retorqueatur, si nullo sæcularium Principum privilegio affici possent contra *c. non debet de reg. juris in 6.* tale privilegium est in auth. *quas actiones. C. de SS. Ecclesiis.* ubi contra Ecclesiam Romanam tantum *centenaria*, contra alios *quadragenaria* præscriptio admittitur. In *auth. item nulla communitas. C. de Episc. & Cler.* ubi Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ ab exactionibus & oneribus realibus per sæculares Magistratus imponendis liberæ pronunciantur. In *Nov. 5. c. 5.* quòd bona ingredientium Monasteria sine prævia dispositione Monasteriis acquiruntur, plura alia similia, quæ in primis titulis Cod. & Novellis passim occurrunt.

CA-

CAPUT II.

DE VOTIS.

VOtorum etiá materia quotidie Parochis & confessariis obvia est, angitq; bonas animas, quare & hanc, utpote ad curam pastoralem plurimùm pertinentem inserere volui, opto ut ex voto sit.

§. I.

Quid sit votum, quænam ejus requisita & obligatio?

SUMMARIA.

1. *Votum quid, & quomodo differat à proposito.*
2. *Si dubitetur, fueritne votum vel propositum, præsumitur, non fuisse votum.*
3. *Votum aliud explicitum, aliud implicitum.*
4. *Voto obligatur etiam qui non habuit animum servandi; secùs, si se non obligandi.*
5. *Quanta deliberatio requiratur in voto &*

quid, si dubitetur an fuerit sufficiens deliberatio.

6. Qualis error tollat obligationem voti.

7. Difficultates novæ emergentes, vel non præviſæ cur potiùs tollant obligationem voti, quàm contractuum.

8. Votum debet fieri Deo, saltem mediatè, ut si fiat Sanctis.

9. Votum debet esse de meliori bono, & ibi an res indifferentes, vel res bona ob malum finem voveri possint?

10. An & quando valeat votum contrahendi matrimonium?

11. Voveri possunt etiam ea, quæ alias sunt de præcepto.

12. Quanta sit voti obligatio, & an detur parvitas materiæ.

13. Quamdiu executio voti differri possit, & an prævidens impedimentum teneatur prævenire.

14. Quid, si votum sit partim de re possibili, partim impossibili.

15. An votum possit per alium impleri.

16. Exponitur tex. in c. quod super. de voto.

17. Vota quatenùs obligent successores. Alia Summaria invenies in §. seq.

[1] VOtum communiter definitur quod sit, *promissio deliberata Deo facta de meliori bono.* Dico primo: Votum esse promissionem, ut

ut distinguatur à *proposito*, nam propositum concipitur sine actuali obligatione; unde qui propositum utcunque firmiter & efficaciter conceptum non servaverit, peccati propterea reus non erit, quia nulla se obligatione obstrinxit. *c. 3. & ibi gl. de voto & voti red.* Contingit non raro, ut homines dubii reddantur, anne *votum*, vel solùm *propositum* conceperit? In quo dubio poterit præsumi, non fuisse votum. quia *in dubio melior est conditio possidentis. c. in pari. De R. l. in 6.* fuit autem talis dubitans prius in possessione libertatis, quâ eum non constat privatum esse. item in dubio non est obligatio inducenda. *L. Arianus. de O. & A. Henr. Zoes. ad tit. Decret, de voto n. 50. Suar. de voto. lib. 4. c. 5.* non obstat, quòd *in dubio tutior via sit tenenda:* quia hæc regula plerumque est tantùm de consilio, non de præcepto, nisi quis in dubio practico perseveraret, neque ad ejus depositionem se resolvere posset, tunc enim non licet

ret agere cum conscientiâ practicè dubia. Item in dubia irregularitate orta ex homicidio, quando factum scilicet homicidium, vel mutilatio est certum, & tantùm culpa incerta, ad quale quale scandalũ & offensionem hominum evitandam jussit subinde Pontifex tutiorem viam & abstinentiam ab ordinibus eligi. *c. ad audientiam 3. & c. pen. De homicidio.*

Porrò hæc promissio aliquando est *implicita* & actui, quem quis agit, *annexa*: ut si Clericus suscipiat SS. Ordines, quibus scit *votum Castitatis* annexum esse, hoc ipso eandem promittere censetur *c. un. h. t. in 6.* quemadmodum de jure Civili sunt *tacita pacta* juxta *L. 2. ff. de pactis*, & obligationes, quæ ipso facto contrahuntur, & ex *quasi contractu* appellantur *toto tit. Inst. de obligat. quæ ex quasi contractu.*

4 Sed quid, si aliquis promissionem quidem votivam faciat, non tamen animum habeat illud votum servandi? ex. g. si habens domi concubinam, cen-

emittat votum castitatis, vel SS. Ordines Clericales suscipiat, anne tale votum valebit? R. affirmativè, quia obligatio voti est distincta ab executione voti, nec ab ea dependet, unde rectè obligatio sine executione consistere potest, prout sine dubio is, qui de facto votum non servat, nihilominùs voto tenetur. *Navar in manual. c. 12. n. 27.* & in simili obligationem ad matrimonium B. Virginis cum S. Josepho fuisse sine intentione executionis superius *p. 3. c. 5. sect. 2. n.* 10. tradidimus.

Aliud vero dicendum, si quis non tantùm non habuerit animum non servandi votum, sed etiam non habuerit intentionem se obligandi, & verba merè extrinsecus protulerit, intrinsecè autem contrariam protestationem fecerit; talis enim voto non obligabitur, quia nulla est obligatio sine consensu tacito vel expresso, et si Clericus in susceptione SS. Ordinum non habuerit intentionem vovendi castitatem, non obligabitur

qui

quidem ad cœlibatum ex voto, obligabitur tamen ex præcepto Ecclesiæ, interim graviter peccabit, quia decipit Ecclesiam, quæ non vult alicui sacrum Ordinem dari, nisi qui se castè victurum promiserit *cap.* 1. *dist.* 27. *& c.* 1. *dist.* 28.

Quod si quis suscipiens SS. Ordines penitus ignoraverit obligationem voti esse annexam, non videtur voto adstrictus, quia ignorantia tollit voluntatem & consensum, nisi ut plerumque fit, habuerit generalem & implicitam intentionem se obligandi ad illa omnia, quæ conditio Ordinis requirit, quamvis in specie de voto castitatis nihil sciverit.

5 Dico secundo, votum esse *promissionem deliberatam*, ubi aliqui perfectam deliberationem & majorem, quàm ad peccatum mortale requirunt, ut Lessius *de voto dubio.* 1. *n.* 4. alij autem probabilius statuunt, eam deliberationem, quæ obligaret nos diabolo per peccatum mortale, sufficc-

ficere ad obligandum nos Deo per votum, si scilicet plena advertentia accedat, ut vovens sibi præsens sit, & sine subitaneo motu vel animi passione judicium ac deliberationem perturbante advertat se vovere *Gutirez. Cano. quæst. lib. 2. c. 22. n. 7. arg. c. sunt qui opes 17. q. 4. & c. 2. h. t.*

Quid, si dubitetur, an adfuerit sufficiens deliberatio? sunt, qui hoc & superiori casu *sub. n. 2.* pari passu procedunt, censentque possessionem, & consequenter præsumptionem stare pro *libertate*. tutius tamen videtur, ut hoc casu possessio & præsumptio pro voto asseratur. Nam quando certum cum incerto concurrit, possessio regulariter stat penes id, quod certum est, sicut in possessorio judicio, qui actus possessorios certos præsentes probat, præfertur illi, qui per petitorum disputat, tales actus non fuisse legitimos, usque dum revera non legitimos fuisse demonstraverit. Atqui in ista hypotesi supponitur votum fuisse certo emissum, & tantùm dubitatur

tur an cum sufficienti deliberatione; ergo possessio stat pro voto. in altero autem casu, constat, me prius fuisse liberum, & dubitatur de ipso voto, ergò possessio est penes libertatem. *vid. Sanch. de matr. lib. 1. disp. 8. n. 10. & Susius lib. 2. disp. 41. n. &. 31. & seq. Zoes. h. t. n. 29.*

Vota autem ex metu cadente in constantem virum emissa non obligant, cùm non sint promissio voluntaria & libera, dummodo metus sit injustus ab extrinseco, & ad finem eliciendi votum incussus, vel saltem votum pro medio evadendi concessum, veluti *in c. 1. De his quæ vi metusve* dicitur, non valuisse professionem mulieris in Monasterio, quæ suspecta de adulterio à marito tradita fuit ministris occidenda, à quibus tamen dimissa erat sub conditione, ut Monasterium ingrederetur. Secùs est, si metus tantum proveniat ab intrinseco timore, vel ab extrinseco quidem, sed qui non sit ad eliciendum metum incussus. Unde

de non est dubitandum, quin valeant vota metu naufragij, latronum, vel infirmitatis emissa *c. ex parte 9. de conversione conjug. Suar. 1. de voto c. 7. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp 29. n. 5.*

Circa .errorem aut deceptionem, qui aliquando in votis intervenit, distinguitur inter vota *simplicia & solemnia*, simplicia enim cùm sola voluntate voventis sine actuali sui traditione cõstituantur, non tantùm expressas, sed etiam tacitas conditiones admittunt: ac proinde error in causa etiam merè impulsiva, aut circumstantijs solùm accidentalibus notabiliter tamen rei statum mutantibus obligationem voti tollere potest, si vovens ita constitutus sit, ut non nisi in talibus circumstantijs se obligare intendat, V. g. si voveat peregrinationem, quia putat esse vicinam & facilem, aliàs non facturus tale votum, postea verò audit esse remotam, difficilem & sumptuosam. ita generalem regulam tradunt DD. Antonin. Ang. Sylv. Hostiens.

6

ens. Nav. & alii plures apud Sanch. *de Matr. lib.* 10. *disp.* 9. *n.* 15. quod vovens non obligetur in eo eventu, quem excepisset, si tempore voti emissi cogitasset. tùm quòd in talem eventum censeatur, se virtualiter noluisse obligare, tum quòd *in generali promissione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non promisisset. c. in generali. de R. I. in* 6. *c. qui ad agendum. De procur. in* 6. *clem.* 2. *Eod. tit.* quam quidem doctrinam tunc veram censet Sanch. *d. l. & n.* 16. Si eventus ignoratus claudatur in virtute volnntatis vovendi, & non sub objecto promissionis, aut sit causa finalis, ut siquis voveat dare Paulo eleemosinam, quem ignorat locupletem: secùs verò, si includatur in virtute aliorum actuum vel habituum & claudatur sub objecto promissionis, aut sit causa merè impulsiva. E.g. non vovissem Paulo pauperi eleemosinam si scivissem furem, ebriosum &c. quia tamen pauper est, claudetur sub objecto promissionis scil. eleemosinæ & ideo

& ideò votum obligat. verum hæc limitatio, quæ ob magnam ſubtilitatem, & plurimas difficultates ac ſcrupulos in ſingulis factis emerſuros haùd facilè poterit Confeſſariis, nedum confitentibus ad clarum intellectum explicari, non videtur mihi neceſſaria, ſed id potiſſimum attendendum eſſe, an quis eventu ignorato præcognito voviſſet, vel non, ſi non voviſſet, deficit perfecta voluntas in talibus circumſtantiis, ſive jam ad objectũ promiſſionis pertineant, ſive non, & habet locum regula *de c.* quod *in generali conceſſione non veniant ea, quis veriſimiliter in ſpecie non ſuiſſet conceſſurus, & verba accipienda ſint ſecundum veriſimilem atque adeo etiam habitualem intentionem proferentis. c. ſecundò. De appell.*

Non obſtat, quod alij contractus 9
non reſcindantur ob difficultates poſtea emergentes, quibus prævisis non fuiſſent iniți, cùm aliàs nulla forent firma inter homines commercia, ſicut argumentatur Sanch. *de L. n.* 14.

Les-

Lessius *De voto. dub. 2. n. 10.* nam responderi potest, inprimis frequentissimas in jure esse rescissiones contractuum ob accidentia non prævisa, veluti si occultum rei emptæ vitium detegatur, si malus vicinus celatus fuerit &c. *t. t. de ædil. edict. & de act. empt.* si conductor ædiũ spectris vexetur, latrones timeat &c. *L. habitatores, ff. locati.* Deinde quidquid sit de contractibus, qui simpliciter acceptantur ab hominibus, atque ad firmanda commercia & minuendas lites non facilè solent leges concedere rescissionem, vel admittere exceptionem deficientis cõsensus, aliud tamen est in voto, quod cum principaliter fiat Deo, qui voluntatem nostrá & animi consensum perfectissimè cognoscit, non censetur acceptare, in illis circumstantijs, quas nõ prævidimus, & si prævidissemus consensum minimè daturi fuissemus. cessat etiam in votis minuendarum litium, & firmandorum commercionum ratio, imò potius è contrario per nimium

rigo-

rigorosam & scrupulosam simplicium votorum obligationem lites & anxietates in conscientiis generamus, & homines à meritorio vovendi actu deterremus *Laym. de voto c. 3. n. 4.* nimis enim durum est dicere, quòd Deus me obliget ex mea voluntate (neq; præceptum voti servandi aliter obligat, quam ex voluntate humanâ præsuppositâ) in tali casu & circumstantiâ, ad quam ipse scit, quòd voluntas mea se non extenderit, huc referri potest, quod cum Joan. And. & Molina tradit Zöes. *h. t. n. 56.* ventem abstinentiam vel jejunium diebus Veneris, non teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat.

At verò *solemnia* vota cum per actualem sui traditionem perficiantur, & regressio ex Monasterio post professionem emissam admodum scandalosa sit, regulariter non irritantur ex errore vel deceptione: quia censetur professus se absolutè & simpliciter obligâsse sine reservatione alicujus taci-

tacitæ conditionis si hoc vel illud fuerit &c. prout exemplum ponitur *in c. ex parte* 14. *de conversione conjugatorum.* Ubi mulier post matrimonium ratum ingressa est religionem, quia audivit maritum esse leprosum, respondet ibidem inter cætera summus Pontifex, quòd matrimonium fuerit dissolutum & valida professio, si qua facta sit, licet fortassis causa, quæ ad ingressum movit, falsa extiterit. hinc est, quod illa regula, *dolus dans causam contractui bonæ fidei facit contractum nullum*, desumpta *ex L. 7. ff. de dolo.* non procedit in illis contractibus, qui per actualem sui traditionem perficiuntur, ut in professione religiosa & matrimonio carnali, quorum annullatio propter scandalum non ita facilè admittenda est, nisi tamen error sit circa substantialia Religionis, V. g. si ideò aliquis certum monasterium ingrediatur quod putet in eo licere habere proprium, aliàs nullo modo ingressurus. *vid. Sanch. d. L. à n.* 18. *Laym. in Theol.*

Theol. moral. libro 4. tract. 4. cap. 1. n. 5.

Dico *tertio*, votum esse *promissionem Deo factam*, si enim aliquis tantùm intendat se obligare homini non Deo v.g. si quis promittat Confessario aut Parentibus certum locum vitare, talis promissio votum non erit, nec per ejus transgressionem sacrilegium committetur. Non autem requiritur, ut votum jmmediatè Deo fiat, dummodo finaliter in Deum dirigatur, sic votum ad Sanctos, vel eorum imagines factum verè votum est, quia saltem mediatè Deo fieri censetur, quatenus id, quod petitur à Deo, per intercessionem Sanctorum impetrari speratur. *Syl. verbo, votum. n. 3.*

Dico *quartò*, votum debere esse *de meliori bono*: quia si res *indifferens*, quæ moraliter nec bona nec mala sit, & multo magis si ex se vel leviter mala sit, voveatur, inutile votum erit: nisi tamen res indifferens bono aliquo fine cohonestetur. unde licet non obliget votum non intrandi certam 9

do -

domum, non gestandi gladium, valebit tamen, si propter evitationem fortè periculi peccati fiat, vel si aliquis nimis affectus esset erga talem actum indifferentem, & ideò pro sui mortificatione voverit abstinentiam ab eo.

De illis votis difficultas est, an valeant, in quibus res bona quidem vovetur, sed ob finem malum v. g. si Dux ad injustum bellum proficiscens votum faciat exstruendi templum, si victor evaserit, vel usurarius voveat largam eleemosinam, si usuras integras à debitoribus perceperit. R. talia vota ordinariè non valere, quia facere votum ad impetrandam à Deo rem illicitam, vel tanquam ingratiarum actionem, quòd res illicita quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala & blasphæma operatio, quia Deo adscribit operationem peccati, quæ ipsi non congruit nisi prædictæ conditiones quasi pro tempore exsolvendi voti simpliciter facti statuantur. v. g. quòd vovens velit tem-

templum ædificare, vel eleemosynam dare, postquam victoriam reportaverit, absque intentione mediante voto talem illicitum finem consequendi.

Alia est ratio, si quis rem bonâ, jejunium v.g. aut eleemosynam voverit ad finem impetrandi à Deo rem temporalem licitam & honestam, vel in gratiarum actionem, quod obtinuerit V.g. officium in aulâ, dives matrimonium &c. quia similia à DEO tanquam eorum authore petere, vel pro impetratis gratias agere, bonum & honestum est.

Præterea non sufficit, ut votum sit *de re bona* aliqua quacunque, si per id præjudicetur *meliori bono*. unde regulariter non valet votum contrahendi matrimonium, quia per id impeditur continentia & ingressus in Religionem, bonum *melius*, & perfectius 1. *ad Cor.* 7. *Trid* s. 24. *can.* 10. propterea in definitione dictum est, votum esse *promissionem de meliori bono*; nam Deo non potest esse gratum

& acceptum, quod aliquis vovendo minus bonum, hoc ipso se obliget, quod non velit amplecti majus bonum.

Dixi autem, votum matrimonii *regulariter* non valere, nam ab hac regula aliqui casus excipiuntur. ut 1. si per matrimonium possit procurari bonum publicum, pax, religio inter Magnates. 2. Si fiat causa pietatis ad liberandam fœminam ex statu v[o] periculo peccati, quod liberanti pro[fi]ciet in remissionem peccatorum. *c. inter opera. 20. De spons.* 3. S[i] vovens ipse frequenti periculo pec[ca]cati obnoxius sit, cui aliter quam per matrimonium haud facile mederi queat. Si tamen ex post speraret [se] cum Dei gratia continere, & V. g. re[li]ligionem ingredi posse, non obliga[re]ret votum in præjudicium status per[fe]fectioris. Sicut etiam in priori casu volunt DD. votum non obligare cum exclusione religionis, sed tantum conditionaliter, si aliquam ducturus est. *Zoës. h. t. n. 23. Laym. d. l. c. 2. n. 14.*

n. 12. *Suar. lib. 2. de vot. c. 9. n. 23.* Si quæras, cur potius juramentum de ineundo matrimonio alicui factum simpliciter obliget, *c. commissum. 16. De sponsa.* & non etiam votum? respondetur, votum fieri principaliter Deo, qui id non acceptat in præjudicium melioris boni, juramentum autem fieri homini cum Divina solùm attestatione, qui id simpliciter acceptat, quatenus sibi inde jus & utilitas quæritur. interim etiam juramentum habere tacitam conditionem, *nisi jurans maluerit religionem ingredi*, communius sentiunt DD. ait tamen Pontif. *in d. c. 16.* tutius esse, prius matrimoniũ contrahere, & postea ingredi, sed id DD. explicant, si multum interesset sponsæ vel ob infamiam, vel lucrum antenuptialis donationis ex statuo &c. *vid. Sanch. de matrim. lib. 1. Disp. 43. n. 6. Zæs. ad tit. De sponsal. n. 29.*

Cæterum autem non tantùm ea, quæ *de consilio Evangelico* sunt, voveri possunt, sed etiam ea, quæ sunt *de præ-*

cepto. v.g. non blasphæmare, non fornicari, &c. ut aliquis ex gravitate & duplicitate obligationis tantò magis à peccato absterreatur; nihil enim impedit aliquem circa eandem rem pluribus obligationibus teneri, veluti si rem alienam, quam ex jure divino & naturali restituere debeo, etiam per specialem promissionem me restituturum pollicear. latiùs hæc prosequitur Less. *de voto, dubio 7. Laym. de voto, c. 2.* ulterius post explicatam voti definitionem circa ejus obligationem & executionem

Quæritur I. quæ & quanta sit voti obligatio? R. De fide certum esse quòd omne votum validè emissum ex virtute Religionis obliget ad præstandum id, quod voto promissum est, juxta illud *Deut. 23. si noluerit polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis.* & *illud Psal. 75. vovete & reddite Domino DEO vestro.* estque transgressio voti peccatum ex genere suo mortale, quia violare fidem & pro-

promissionem DEO datam gravis culpa est; aliquando tamen ob parvitatem materiæ veniale esse potest, puta si ex materia voti levis aliqua pars subtrahatur, & votum pro majori parte impleatur. V. g. si vovens orare rosarium unum vel alterum *Ave Maria* omittat.

Quid, si tota materia voti sit parva, V. g. si quis voverit singulis diebus orare unum *Ave Maria* & illud omittat? ad hue venialem tantùm culpam esse docet Lessius *de voto. dub. 9. n. 58.* & ita testatur *plerosquè* sentire Recentiores. consulerem tamen pro tutiori, ne tale peccatum facile in Confessione omittatur, quia aliqui graves DD. in diversa sunt opinione. *Cajet. de juram. q. 49. art. 7. Ang. v. votum. 3. q. ult.*

Deinde in foro etiam extrinseco Ecclesiastico ille, qui scitur votum fecisse, ad ejus observationem rectè compellitur, quia Ecclesia judicat de quovis peccato mortali, & præcavere debet, ne crimina committan-

tur *c. novit. de judiciis. c. quod super in fine 7. de fide instrum.* præsertim si Ecclesiæ vel alterius interfit, votum impleri, ut quia aliquis voto se obligavit Ecclesiam ædificare, pauperibus vel terræ sanctæ subvenire &c. *c. licet 6. h. t.*

Quæritur II. Quam diu executio voti differri possit? R. si certum tempus vovens ipse sibi determinaverit, illud sine peccato elabi non patietur: si prævideris impedimentum illo tempore futurum, tunc votum prius exsolvere debet, neque elapso tempore, si votum non impleverit, hoc ipso liber erit, sed postea implere debebit, nisi votum ob specialem Dei cultum ad hunc, & non ad alium diem determinatum sit. V. g. si quis in festo certi alicujus sancti se jejunaturum promisit, & illo die non jejunavit, peccavit quidem, sed alio die jejunare non tenebitur. Imò tametsi prævideris impedimentum non cogetur anticipare: quia tunc solum anticipatio prævisi impedi-

pedimento est necessaria, quando obligatio est absoluta, & tempus tantùm dilatio executionis, secus verò si tempus sit quasi pars voti, & votum proprium diei onus. *Suar. de voto lib. 4. c. 14. Zæs. h. t. n. 54.*

Quod si nullum certum tempus vovens sibi præfixerit, debet votum exequi, quàm primùm commodè potest, juxta illud *Deut. 23. cum votum voveris domino, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus, etsi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* quemadmodum etiam in aliis obligationibus ab eo, qui se sine certo tempore obligavit, res statim peti potest, quàm primùm debitor facultatem solvendi habuerit *L. promissor §. 1. ff. de constituta pecunia*; ita tamen ut juxta humanum modum & arbitrium boni viri hæc res accipiatur, neque enim qui fortassis peregrinationem vovit, cogetur diebus ac noctibus, vel omni tempestate, & periculo & incommoditate contempta illam explere. *arg. text. notab.*

in l. continuus 137. §. 2. *ff. de verb. obligat.*

14 Quæritur III. si votum pro aliqua parte sit moraliter vel physicè impossibile, utrùm saltem obliget quo ad partem possibilem? R. Esse distinguendum, utrum materia voti sit *dividua*, vel *individua*, priori casu locum habebit *regula* 36. *Iuris in 6.* quod *utile non vitiatur per inutile*; adeòque si vovens votum implere secundum unam partem non possit, tenebitur secundùm eam, quam potest. quare qui vovit se jejunaturum totâ septimanâ, si singulis diebus id sine periculo facere non possit, tenebitur illis diebus, quibus potest. Item qui vovit, se Ecclesiæ donaturũ 1000. florenos si propter supervenientem impotentiam totam summam dare nequeat, tenebitur ad illam partem, quàm dare potest salvâ congruâ sui sustentatione. Illam tamen exceptionem hic addunt DD. nisi pars impossibilis sit *principalis*, & altera tantum *accessoria*, & non aliter quam respe-

spectu illius principalis promissa. unde qui vovit se peregrinaturum ad certam Ecclesiam, & ibidem oblationem facturum, si peregrinari non possit, non tenebitur oblationem eo mittere, juxta vulgatum, quod *principale trahat ad se accessorium*. si tamen oblatio esset in magna quantitate promissa, tunc censeretur illa principaliter esse in obligatione, & peregrinatio tantùm accessoriè, ideoque peregrinatione impossibili illa oblatio transmittenda foret; nam pereunte accessorio non perit principale.

Altero autem casu, si materia voti sit *individua*, tunc una parte impossibili non tenebitur vovens possibilem implere. V. g. qui vovit templum ædificare, & propter supervenientem inopiam totum ædificare non potest, non tenebitur capellam ædificare. *Suarez de voto lib. 2. c. 2.* Generaliter autem tota hæc quæstio potissimum ex intentione voventis resolvenda est, an voluerit se ad o-

mnes partes voti collectivè tantùm sumptas, vel etiam ad singulas divisim obligare. In dubio quando nec ex conjecturis constaret de intentione voventis, suaderem observationem partis possibilis, quia in dubio tutior via est tenenda saltem de consilio, sed multum renitenti non auderem imperare, quia in dubio non est facilè inducenda obligatio *L. Arianus. de oblig. & act.* & votorum obligatio ex communi sententia non est amplianda, sed strictè accipienda *arg. c. ex parte ubi Panorm. de censibus.* Item *in obscuris quod minimum est, sequimur regul. 30. juris in 6. Sanch. de matrim. lib. 9. Disp. 35. n. 8.*

15 Quæritur III. an liceat votum per aliam personam implere, vel an teneatur per aliam implere, qui per se ipsum non potest?

℟. I. Esse distinguendum inter vota *personalia, realia, & mixta*, votum *personale* est, quando solum factum proprium promissum est, ut jejunium, oratio &c. Votum *reale*, quan-

quando vovens promisit se aliquid daturum v. g. eleemosynam aut dotem pro Ecclesia. Votum denique *mixtum*, quando præter donationem rei etiam ipsa actio seu functio personalis promissa est, ut peregrinatio cum oblatione.

§. II. Votum *personale* vel etiam *mixtum*, (si nullum subsit impedimentum ex parte voventis, de quo infra) per ipsam personam voventem implendum est, nec per aliam impleri potest, quia illa tantùm & non alia obligata est; neque hic locum habet regula, quod *quis per alium facit, per se ipsum fecisse censetur*, prout eadem regula nec in alijs casibus obtinet, in quibus ipsius personæ obligatæ factum, ejusque industria maximè pro majori sui mortificatione promissa est. Votum autem *reale* aliquando per aliam personam impleri potest, ut si quis solvat pro me eleemosynam quam promisi dare pauperibus, quia tunc censetur mihi donâsse pecuni-

am, & ita *brevi manu* illa eleemosyna de meo data esse, prout observat Sanchez. *lib.* 4. *moralium c.* 10 *n.* 10.

Ɲ. III. Qui non potest votum *personale* v. g. jejunii aut orationis per se implere, non tenetur id implere per alium, quia actus non obligat ultra intentionem agentis, fuit autem intentio voventis, suam tantum non alterius personam obligare, & quilibet vovet eo animo, ut velit se & non alium affligere. Illum tamen casum excipit Sanch. *d. lib.* 4. *c.* 15. *n.* 9. Si votum *personale* non tam intendatur pro sui afflictione, quàm pro utilitate alterius v. g. si quis votum fecerit jejunii aut missæ dicendæ pro redemptione animarum in purgatorio, quæ sententia Sanch. videtur habere æquitatem, & propterea voventi consulenda, cum finis voti tali casu etiam per alium obtineri possit, si tamen vovens non posset facilè habere alium per quem votum impleat, non foret cogendus, nisi fuisset ipsius intentio im-

implendi votum sive per se sive per alium, nam in dubio quilibet præsumitur se tantùm obligare voluisse.

Sed his opponi posset difficilis textus *c. quod super 8. x. de voto.* ubi S. Pontif. decidit, quod illi, qui fecerunt votum succurrendi terræ Sanctæ, si ob impedimentum perpetuum in propria persona ire, aut militare nequeant, teneantur expensas quas facturi fuissent transmittere & votum per alios exequi. Hanc decisionem non esse ex natura hujus voti (utpote quod potius *personale* quàm reale sit) sed ex præsumpta mente voventis, qui in defectu suæ personæ ad expensas se obligâsse censeatur, existimat Paul. Laym: *d. L. c. 3. in fine. cum Palud. Nav. & aliis.* Verùm quia non est benè credibile, quòd S. Pontifex voluerit quæstionem voti, quæ immediatè conscientiam tangit, ex præsumptione, non habente locum in conscientia nisi veritas subsit, decidere, & verba in *d. c. 8.* ita simpliciter proferuntur

tur ut nulli suppositio, vel præsumptioni inniti videantur: propterea magis puto, votum peregrinationis Hyerosolymitanæ, quod non causâ devotionis, sed in subsidium Terræ Sanctæ emissum est, accenseri votis *realibus* vel *mixtis* in quibus principale est id, quod est *reale*, ideóque habere locum, quod dicetur in seqq. responsionibus. Nam tunc votum dicitur tale, quando in eo principaliter consideratur & intenditur utilitas Ecclesiæ vel piæ causæ, accessoriè autem devotio vel labor personæ, sed in promisso subsidio terræ sanctæ utique principaliter intenditur utilitas Ecclesiæ Catholicæ accessoriè autem personæ labor, qui benè & forsan fructuosius potest per substitutum impleri: ergò &c.

℣. IV. Vota *realia* per alium implenda sunt, si per ipsum voventem impleri non possint, quia nihil interest, an ipse vovens an alius ejus nomine etiam de ipsius substantia eleemosynam expendat.

℣. V.

℟. V. In votis *mixtis* quantum ad eorum realitatem quæstio dependet à præcedenti, an nimirum, si votum quo ad partem obligationis personalis sit impossibile impleri debeat saltem quo ad obligationem rei, ubi proinde illa distinctio est adhibenda, quâ ibidem tradidimus, an scilicet id, quòd est reale voti v. g. peregrinatio, & in ea oblatio, fuerit accessoriè vel principaliter in obligatione, item an intentio voventis fuerit se ad singulas partes voti divisim obligare. *vid. Suar. de voto. lib. 2. c. 1. & 2. Laym. d. L. c. 2.*

Q. V. An & quatenus vota defuncti obligent heredem? ℟. Rursus distinguendum esse inter vota, nam vota *realia* regulariter omnia ad heredem transeunt, & per eum expleri debent, quia sunt onus bonis defuncti annexum, quod consequenter in heredem transmittitur *c. ex parte de censibus.* Quamvis autem excutio voti *realis*, quod defunctus fecit ante omnia legata etiam pia fieri debeat, cum obli-

obliget animam defuncti, ante alia verò debita, quæ creditoribus defuncti ex justitia debentur, votum non est solvendum. nam votum reale tantùm debetur ex *bonis* defuncti, non autem sunt *bona* nisi *deducto ære alieno*. quare si deductis debitis non remaneat tantùm, ut eelemosyna vel donatio à defuncto per votum promissa possit ex toto impleri, sufficit si heres impleat & exequatur, in quantum vires hereditatis patiuntur *Sanch. d. c.* 15. *n.* 39. ita tamen ut nullam *Falcidiam* vel *Trebellianicam* detrahat. quia cum in legatis piis, ad quæ defunctus non fuit obligatus non detur *Falcidiæ* detractio *auth. similiter. C. ad L. Falcid. Tyraq. De priv. piæ causæ. priv.* 26. multò minus dabitur sive ex Lege sive ex voluntate defuncti in voto, in quo defunctus propriam animam obligavit.

Vota *merè personalia*, ut jejunia peregrinationes & similia heres regulariter implere non tenetur, quia jura & obligationes, quæ personæ defuncti

in individuo cohærebant, non transeunt in heredem, nisi ultro se impleturum promisisset, vel sub hac conditione implendi votum heres institutus fuisset. *c. licet 6. & ibi DD. h. t.*

Neque ea vota quæ nonnunquam faciunt communitates, oppida, vel civitates peregrinandi, jejunandi &c. in ratione voti & sub reatu sacrilegij obligant successores, sed potius ex pacto, consuetudine vel statuto, accedente approbatione expressa vel saltem tacita Episcopi, qui etiam ejusmodi leges vel consuetudines diœcesanorum ex causa abrogare potest. *vid. Sanch. d. c. 15. n. 19. Laym. d. c. 3. sub. n. 6. Suar. de voto l. 4. c. 9. n. 10.*

In votis *mixtis* iterum attendendum est, an defunctus ita voverit, ut id, quod fuit *personale* in voto non potuisset implere, saltem tenebatur implere id, quod fuit *reale*, vel an *personali* impossibili nō tenebatur etiam ad *reale*, priori casu heres tenebitur ad rem præstandam, non autem posteriori *Suarez. d. lib. 4. c. 11.*

§. II.

§. II.

Qualiter obligatio voti tollatur.

Summaria.

1. *Votum tollitur quatuor modis.*
2. *Materia voti deficit, quando non est amplius de meliori bono.*
3. *Quotuplex sit potestas Superiorum irritandi vota.*
4. *In directa potestate non attenditur an votum superiori præjudicet, & ibi de vita Religiosorum.*
5. *Vota pupilli possunt etiam post pubertatem irritari, & Successor superior potest irritare vota sub suo antecessore emissa.*
6. *Maritus qualiter possit irritare vota uxoris.*
7. *An uxor possit aliqua vota mariti irritare.*
8. *Votum irritatum an reviviscat cessante potestate irritandi.*
9. *Qualiter, & à quo fiat commutatio voti.*
10. *Qualiter dispensetur in voto.*
11. *Quinque vota reservata Papæ, & quænam.*
12. *Qua ratione possit fieri dispensatio in votis, cum obligent ex jure divino.*
13. *An Papa valeat dispensare in votis solennibus Religionis, vel Clericatus?*

Qua

QUatuor modi sunt, quibus votum rectè & valide emissum tolli, 1
potest, ita ut amplius obligatorium non sit; primò si *materia voti deficiat*; Secundò *si à superiori irritetur*; Tertiò *si commutetur*; & quartò *si voventi dispensatio concedatur.*

Materia voti deficit, quoties opus Deo promissum propter aliquas su- 2
pervenientes circumstantias illicitum, aut etiam melioris boni impeditivum, vel omninò indifferens, adeòque non amplius Deo gratum, vel denique prorsus impossibile redditur. E.g. vovisti non intrare certam domum propter periculum peccandi evitandum, si ex post facto periculum cesset, voto deobligaris. vovisti longiores peregrinationes, vel statum cælibatus, aut Clericatus sæcularis, sed malles jam ingredi Religionem, non impedieris ab istis votis, quia omne votum potest mutari in votum Religionis, cùm nullum votum obliget in præjudicium melioris & perfectioris boni c. 4. h. t.

Pot-

3 Potestas irritandi vota aliquando est *spiritualis*, aliquando *temporalis*, quatenus scilicet talia vota à voluntate superioris, sive is spiritualis, sive temporalis sit, dependent. Est autem prænotandum, quod ista dependentia à superioris voluntate sit in duplici differentia, una est per se & simpliciter dicta, in quantum voluntas voventis simpliciter & absolutè dependet à directione & voluntate superioris, qualis est voluntas Religiosi respectu sui Prælati *c. si Religiosus. de electione in* 6. Item filij impuberis respectu patris, vel tutoris. *c. mulier* 32. *q.* 2. Altera dependentia est secundum quid, & quasi per accidens, videlicet ratione materiæ, in qua alterius juri vel potestati præjudicatur. ut si servus, filiusfamilias pubes, conjunx, Novitius aliquid voveat, quod sine præjudicio & damno Domini, patris, mariti, aut Monasterij observari non possit.

4 Igitur in casu prioris dependentiæ de-

datur superiori directa potestas votum subditi irritandi, & annullandi, licet sibi aut potestati suæ damnosum non sit, quia voluntas inferioris effectum non habet, nec à Deo acceptatur, nisi in quantum confirmata vel tolerata est superioris authoritate, ut constat ex *lib. Num. c.* 30. licet verò leges *judiciales* veteris testamenti post adventum Christi cessârint, ut sup. *c.* 1. §. 1. *n.* 5. dictum, quatenus tamen sunt deobligatoriæ, & favorabiles conscientijs, rectè potest ex ijs divinæ voluntatis interpretatio, an votum acceptet vel non, desumi. & in *c.* 2. *causa* 20. *q.* 2. dicitur, *Monacho non licet votum vovere, & si voverit, frángendum erit.* Imò valebit talis irritatio, licet sine justa causa fiat, quia etiam hoc casu deficit consensus superioris, sine quo votum servare non potest; peccabit tamen juxta probabiliorem opinionem superior saltem venialiter, si absque justa causa votum irritet, quia abutitur jure & potestate sua, impediendo

prom-

promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum per votum *Lessius de voto dubio* 10. *n.* 17.

Interim licet Religiosus aliter quodcumque votum vovere non possit, nisi sub tacita conditione, si Abbas toleraverit, quoad licentiam tamen, seu consensum superioris petendum distinguendum est, an Religiosus votum fecerit in actione aliqua sibi licita & concessa v. g. certas orationes privatim dicendi; vel an in actione quidem bona, Religioso tamen ex certa causa prohibita, v. g. peregrinandi extra Monasterium; priori casu non tenebitur petere licentiam Prælati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde resciente, vel per generalē prohibitionem in Capitulo irritetur. Altero autem casu obligabitur Religiosus ad petendam licentiam Abbatis, quia saltem ex voto tenetur facere quantum in se est.

Præterea communiter tradunt DD. quòd pater vel tutor possit irri-

tare vota liberorum in impubertate facta etiam postquam illi ad pubertatem pervenerunt, nisi post pubertatem talia vota nova voluntate confirmârint. Ratio est, quod parentibus atque tutotibus (quo nomine in defectu patris venit etiam avus paternus, vel in defectu ascendentium masculini generis etiam mater, cum ad eam quoque jure naturali cura filij impuberis spectet) detur simpliciter potestas vota in impubertate facta irritandi, ac in similibus attendatur primordialis natura obligationis & qualitas agentis, dum actum fecit. Quemadmodum *in c. ultimo. de sententia excom.* percussio Clerici facta à puero impubere absolvi potest ab Episcopo etiã post ejus impubertatem *Navar. man. c. 12. n. 71. Sanch. lib. 4. Moral. cap. 30. n. 14. Lay. d. l. c. 7. n. 11.* Tradit etiam Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 41.* quod vota uxoris, quæ tempore prioris Matrimonii poterat vir, vel, si tunc erat impubes & inupta pater aut tutor irritare, possit

etiam

etiam succedens maritus, utpotè qui etiam in locum patris & tutoris succedat. idemquè judicium fit de alio quovis superiore succedente in Officio, ut possit irritare vota sub suo antecessore emissa, tametsi vota fuerint de licentia prioris mariti vel superioris emissa, quia per hanc non potuit præjudicari successori pari potestate functuro. *c. innotuit. de elect.* ita tamen ut hoc casu fiat irritatio ex justa causa. & hæc quoad casum primæ dependentiæ voventis ab ipso superiore.

In altero autem autem casu, quandò tantùm per accidens, & ratione materiæ voventis voluntas dependet à superiore, votum aliter superior irritare non potest sui inferioris, quàm quatenùs id sibi, vel rei suæ
6 damnosum est. Unde si V. g. uxor longam peregrinationem, jejunium, aut eleemosynam de bonis dotalibus voveat, non valebit votum, nisi sub tacita conditione, si vir permiserit, imò licet maritus semel assensum de-

derit, & uxori executionem voti sui aliquàmdiu permiserit, nihil ominus ex post facto sententiam mutare & votum irritare potest *c. manifestum, 33. q. 5.* eadem est ratio de filiofamilias, si post pubertatem aliquid voveat, quod in detrimentum vel incommodum patris cedat, V. g. sumptuosam peregrinationem, abstinentiam à carnibus, eleemosynas ex bonis patris &c. secus autem est, si uxor voverit se donationem facturam Ecclesiæ de bonis suis *receptitiis*, aut filius familias de *bonis Castrensibus*, in tab. enim bonis non fit præjudicũ marito, vel patri, cum pleno jure spectent ad voventem, & consequenter votum circa ea irritari non potest. *DD. mox citati.* & hæc sententia quoad uxorem tanquam tutior suaderi potest.

Interim valdè probabile est, quod docet Sanch. *De matrim. l. 9. disp. 39. n. 4. & seqq.* uxorem subdi marito non tantùm quoad Materiam voti, sed etiam quoad voluntatem, vir enim Caput est

mulieris *ad Ephes. 5.* & Mulier est sub viri potestate. *Gen. 3.* videturque Deus ea de causa mulieris voluntatem subdidisse viro, quia Mulier est levis, imprudens & facilis in emittendis votis, ideóq; posse maritum omnia vota uxoris etiam continentiæ, non petendi debitum &c. sicut pater filii impuberis irritare. ita enim hæc potestas Marito *Num. 30.* simpliciter conceditur; & confirmant dicta SS. PP. *in c. noluit. & c. fin. 33. q. 5.* D. Thom. *22. q. 88. ar. 8. ad 3.* ibi: *nullum votum religiosi est firmum, nisi de consensu prælati, nec uxoris, nisi de consensu viri.* Imò ulteriùs puta Sanch. *d. l. n. 16.* quod maritus possit irritare vota uxoris constante matrimonio emissa, sed collata in tempus dissoluti matrimonii. quia tempore emissi voti voluntas voventis subdita est marito. Et *eod. lib. 9. disp. 40. n. 4. & seqq.* quòd Maritus possit irritare vota uxoris, etiam de sua licentia emissa, quamvis peccet irritando sine causa. Divortio tamen

do ex causa adulterii nulla potestas irritandi est. *d. disp. 39. n. 8.*

Sed an etiam econtra uxor aliqua vota mariti irritare valebit? *R.* Affirmativè, in quantum ea uxori in jure suo conjugali, quod habet in corpus mariti, vel in bonis suis præjudicant, ut si maritus voveat longam peregrinationem, & diuturnam absentiam, donationem ex bonis dotalibus, & similia *Sanch, d. l. 9. disp. 42.*

Uno tamen casu jura propter publicam necessitatem Christiani populi derogârunt potestati uxoris, quatenus scilicet maritus præter uxoris assensum possit liberè vovere peregrinationem Hierosolymitanam pro terræ sanctæ redemptione, si nimirum in ea qualitate sit, ut vel ipse militare, vel milites secum ducere, aut suo consilio militantibus adesse possit *c. ex multa 9. §. penultimo h. t.* similiter juri mariti vel uxoris derogatum est in voto religionis ante matrimonium consummatum. *t. t. de con-* 7

vers. Conjug. Item prælato in voto religiosi ad strictionem ordinem transituri *c. licet. De regular. Sanch. d. disp. 39. n. 19.*

Demùm hic quæritur, an revivíscat votum semel irritatum, postquám per mortem mariti vel patris subjectio cessavit? in hac quæstione satis conveniunt DD. primò, quod votum Religiosi, vel impuberis à Prælato vel patre irritatum semper irritatum maneat, quia isti habent simplicem & directam irritandi potestatem. Secundò, quòd votum à muliere factum, antequam in matrimonium transivit, vel à servo antequam in potestatem Domini venit, possit quidem à marito vel domino interim irritari, quatenus sibi præjudicat, postquam verò conjugium vel potestas dominica cessavit, votum incipiat, ut prius obligare, quia non fuit simpliciter irritatum, sed tantum respectu dictæ potestatis, cui præjudicavit. Sed in tertio dissentiunt, an scilicet votum, quod uxor

uxor constante matrimonio, vel filius jam pubes, dum adhuc in potestate patris erat, emisit, atque irritatum fuit, obliget iterum, postquam matrimonium aut patria potestas soluta est. Affirmativa sententia tutior est, dummodo votum fuerit in omne vitæ tempus conceptum, & non præcisè ad statum conjugii, vel certos annos, qui jam elapsi sunt, restrictum, ut si uxor voverit se totâ vita aliquot diebus in hebdomade jejunaturam &c. ratio est eadem, quæ in præcedenti articulo, quod scilicet irritatio voti constante matrimonio facta non fuerit simplex, & totaliter tollens obligationem voti, sed solum in quantum præjudicavit. *Innocentius in c. scripturæ h. t. Lessius de voto dubio* 10. *n.* 86.

Quia tamen etiam pro contrario sunt non pauci DD. cum Panorm. *in c. Scripturæ. & c. quidam. de convers. conjugat. Sanch. d. l.* 9. *disp.* 39. 36. ideò fortassis Episcopus in tali voto ad cautelam dispensare potest,

rit. nam quando est dubium, an res egeat dispensatione, posse Episcopum dispensare, vel declarare quod non sit opus dispensatione tradit Garcias *de beneficiis, parte 7. c. 2. n.* 10.

Per *commutationem* tollitur obligatio voti, si id, quod antea erat promissum in aliud opus bonum, & Deo gratum commutetur. ad hanc *commutationem* duo principaliter requiruntur, scilicet *causa*, & *superioris authoritas*: causa est vel difficultatis, vel utilitatis; *difficultatis*, si propter paupertatem, debilitatem corporis, periculum frequentis omissionis, aliasve circumstantias difficilis sit voti executio. imò levior etiam difficultas sufficit, si votum in puerili ætate ex facilitate potius, quàm arbitrii discretionis emissum sit *c. 2. h. t.* Causa vero *utilitatis* est, si vovens pro opere Deo promisso, aliud Ecclesiæ utilius, & Deo gratius præstare paratus sit. quàmvis autem authoritas superioris non requiratur, si opus, in quod votum commutatur, manifesti

feste Deo gratius sit, ut si vovens vellet Religionem ingredi. *c. 4. h. t.* vel si voverit, se daturum Ecclesiæ certæ, & deinde velit dare pauperiori, & magis indigenti; quia in similibus casibus non tam violatur votum, quam auctius, & plenius redditur, si tamen dubium sit, quodnam opus omnibus consideratis melius & Deo acceptiùs habendũ, tunc authoritas & arbitrium superioris omnino intervenire debet *c. 1. & ibi DD. h. t.*

Porrò nomine superioris non tantùm venit S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes. ipsi quoque aliquando Confessarii, vel ex Jubilæo, vel aliunde privilegium commutandi vota obtinent.

Est tamen in *commutatione* observandum, ut opus illud, in quod fit commutatio, moraliter, & arbitrio prudentis viri aliquo modo æquivaleat rei per votum promissæ. Interim nihil obstabit, quin votum reale commutari possit in personale, vel

è contra, licet plerumque convenientius sit, ut reale in reale, vel etiam personale in reale commutetur, quia ordinariè onera realia etiam charitatem, erga proximum, vel utilitatem Ecclesiæ concomitantem habent, nisi personale fuerit corporis afflictivum, & certis peccatis resistens, quod proinde expedit, ut in aliud simile quod vovens perficere possit, convertatur, V. g. jejunium in orationes quotidianas &c. In specie autem de commutatione votorum, quæ à Confessariis fit tempore Jubilæi & qualiter singula vota commutanda sint, valdè utiliter legi poterit R. P. Gobat, *de duplici Iubilæo.*

10 Denique per *dispensationem* extinguitur votum, si subexistente causa ejus obligationem Pontifex vel alius Prælatus etiam inferior Iurisdictionem Episcopalem, aut speciale privilegium habens remittat. causæ autem dispensandi recensentur, si votum ex minori deliberatione, ut ira, metu, ætate puerili, vel alicua

animi perturbatione non tamen auferente prorsus mentis judicium emissum sit, ut deinde difficulter observari possit; aut si aliqua magna, & publica utilitas per dispensationem obtinenda speretur, veluti si unicus heres alicujus Principatus vel insignis familiæ votum castitatis fecerit &c. & hæc dispensatio plerumq; necessaria est in votis majoribus, quæ propter dignitatẽ materiæ non recipiunt aliquam æquivalentem cõmutationem; in minoribus autem magis commutatio, quàm dispensatio locum habet, quia obligatio Deo facta debet omni meliori, quo potest, modo impleri: unde & in ipsa dispensatione circa vota minora aliquod saltẽ opus bonum voventi loco voti peragendum injungitur.

Porrò in votis dispensare non tantum potest S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati Iurisdictionem Episcopalem habentes, videlicet Legatus Pontificis in Povincia suæ Legationis; Episcopus in sua Diæcesi; Ca-

pitulum sede vacante, Prælatus exemptus cum suis subditis, Archiepiscopus cum subditis suorum suffraganeorum, non quidem semper, & ubique, sed si quasi per appellationem adeatur denegata dispensatione à suffraganeo, vel dum actu Provinciam visitat, quia extra appellationem & Visitationem Archiepiscopus in subditos suffraganeorum regulariter Jurisdictionem non habet *c. Venerabilibus. 7. de sententia excom. in 6. c. fin. de censibus in* 6.

11 Sunt autem *quinque vota* specialiter *reservata*, in quibus nemo præter S. Pontificem, vel cui is ex singulari privilegio concessit, dispensare potest nimirum 1. votum *perpetuæ castitatis*. 2. votũ *ingrediendæ religionis*. 3. votum *peregrinandi Romam*, seu ad limina Apostolorum. 4. peregrinandi *Hierosolymam*, &5. peregrinandi *ad S. Iacobum Compostellam. Extrav. etsi dominici. fin. De pœnit. & remiss. inter com.*

Verùm cum hujusmodi reserva-

tio

tio à communi jure exorbitet, & Episcoporum potestati deroget, odiosæ & strictæ interpretationis censetur, ac propterea non extenditur ad illa vota, quæ licet habeant cum istis aliquam similitudinem, non tamen sunt omninò, ac in specie eadē. Quare non erit reservatum votum *castitatem* servandi non perpetuò, sed tantùm ad certos annos, nec votum non petendi debitum conjugale, vel non nubendi, aut non fornicandi, nec votum suscipiendi Ordines Clericales, nec votum conditionatum (puta, si convaluero ex morbo ingrediar Religionem) ante condicionis eventum; votum ingrediendi Religionem strictiorem, ut liceat ingredi minus strictam, vel permanere in minus stricta. votum pœnale v. g. si fornicatus fuero, voveo me iturum Romam. etiam post pœnam commissam DD. mox citandi probabiliter non reservatum aiunt, quod non habeat naturam aliorum votorum, quæ simpliciter & directè sunt ex affectu erga rem pro-

missam & ob cultum divinum, sed hoc fiat directè ob aversionem & detestationem peccati.

Votum quoque peregrinationis Hierosolymitanæ non nulli tantùm eo casu reservatum putant, quo factum est intentione subveniendi terræ sanctæ contra hostes Christiani nominis *arg. tex. & Glos. in c. ex multa h. t.*

Denique in votis reservatis dispensare potest Episcopus, quando est impedimentum adeundi S. Pontificem, & est necessitas accelerandi dispensationem. id, quod plerumque in voto castitatis contingit, postquam matrimonium jam contra votum contractum est, propter periculum quotidianæ incontinentiæ. In votis autem peregrinationũ impedimentum frequentius solet esse tantùm temporale, ut propterea potius dilationem quàm dispensationem requirant.

Sed & tunc Episcopo dispensationem concedunt, si subsit dubium juris aut facti, an votum in talibus

cir-

circumstantijs obligatorium sit. Item si votum reservatum priùs S. Pontifex in aliud opus commutârit, tunc Episcopus ex nova causa denuò aliam commutationem facere poterit. neque enim aliud opus in quod commutatio facta est censebitur reservatum ex regula juris, quod *subrogatum sapiat naturam ejus in cujus locum subrogatur*, quia procedit circa substantialia subrogati, ut circa obligationem, non autem circa accidentialia, si ea sint strictæ interpretationis & non extendenda, sicuti est reservatio. *vid. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 9. & seq. Less. lib. 2. c. 40. dub. 13. Laym. lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 8. & seqq. Suar. d. L. 6. c. 20.*

Sed inquies, quomodo Pontifex 13
vel Episcopus potest dispensare in voto, cum tamen votum obliget ex jure divino, in quo dispensatio non conceditur. R. Ius divinum aliquando obligare omnes per se sine omni præsuppositа voluntate humana, ut in præceptis Decalogi & similibus,

ac

ac in his verum est dicere, quod dispensare non liceat; aliquando autem obligat jus divinũ ex præsupposita obligatione humanæ voluntatis, & quàm diu ista durat, ut in votis & juramentis; igitur si ista obligatio humana per irritationem, commutationem, aut dispensationem tollatur, cessabit etiam obligatio juris divini, quæ obligationi humanæ voluntatis tanquam fundamento innititur, quia non aliter obligat votum ex jure divino, quàm quatenus valet & durat, *vid. Sanch. de matr. lib. 8. dis. 6.*

13 Demum vulgaris est controversia, an summus Pontifex possit in votis solemnib9 dispensare, adeóq; efficere, ut Religiosus professus possit rursus ad sæculum redire? Rationem dubitandi facit tex. *in c. cum ad Monasterium in fine de statu Monachorum.* ubi dicitur, quòd *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis ita sint regulæ Monachali annexa, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Nu-

Nihil ominus apud Recentiores & DD. cc. communius receptum est, posse summum Pontificem etiam in votis solemnibus dispensare, quia solemnitas votorum est tantùm juris positivi, *tex. in c. unico h. t. in 6.* ergò si Pontifex tollat solemnitatem, quæ est juris positivi consentiente maximè Religione, & remittente jus suum, quod habet in Religosum, manet tantùm votum *simplex*, in voto autem *simplici*, quin Pontifex dispensare possit, nemo facilè dubitaverit, ad tex *in d. c. cum ad Monasterium*, communis, & vera est responsio, quod loquatur in *sensu composito*, quod scilicet non possit dispensari in votis solemnibus cum Religioso, ut maneat Religiosus, quia per talem dispensationem cessarent substantialia Religionis, non autem loquatur ibidem Pontifex *in sensu diviso*, & quod status Religionis totaliter ab aliquo tolli non possit.

CAPUT

CAPUT III.
DE JURAMENTIS.

VOtis affinia sunt *juramenta*, placuit propterea etiam de his breviter aliqua annectere, omissis tamen illis juramentis, quæ in judiciali processu usitata sunt, & parum ad præsens institutum faciunt.

SUMMARIA.

1. *Iuramentum quid, & quibus modis aut verbis fiat.*
2. *An licitum sit jurare.*
3. *Attestatio sub fide sacerdotali, nobili &c. an sit juramentum.*
4. *Iuramentum debet habere 3. Comites, nimirum.*
5. *Veritatem.*
6. *Iudicium.*
7. *Iustitiam.*
8. *Iuramentum contra jus quando validum.*
9. *Iuramentum assertorium non est necessarium de re honesta. & quando in eo committatur injustitia.*

10. In-

10. *Iuramentum rei indifferentis non obligat.*
11. *Pacta invalida an, & quando juramento confirmentur.*
12. *Iuramenti obligatio qualiter relaxetur.*
13. *Iuramentum regulatur secundum naturam actus, cui adjicitur. idquè pluribus explicatur.*
14. *Actus aliàs validus, non invalidatur, si fiat contra juramentum.*
15. *Qui juravit se soluturum, an posuit compensare.*
16. *De restrictione mentis, remissivè.*

IUramentum rectè definitur, quòd sit *invocatio divini testimonij ad fidem dictis faciendam, vel promissum firmandam.* Fit autem hæc invocatio non tantùm per verba *contestatoria*, seu simpliciter *invocatoria*, ut *Testis est mihi Deus; quàm verè Deus vivit!* sed etiam per verba *execratoria*, v. g. *Deus me puniat; sic me Deus adjuvet*: & similia, nam parùm interest, quomodo petatur, ut Deus testimonium suum declaret, *Suarez de Religione lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 8. Requè tamen requiritur, quod aliquis explicitè Deum in testem adhibeat, sed ad valorem juramenti sufficit

1

fice-

ficiet, ſi etiam implicitè id fiat, ut ſi quis juret *per animam ſuam*, quia continet implicitam execrationem, ut Deus animam puniat, niſi verum ſit, quod dicitur. ſimiliter ſi aliquis ſimpliciter dicat, *juro*, vel *per meum juramentum* affirmo, tacitè Deum in teſtem vocare videtur. Quia hoc ipſum nomen & natura juramenti importat. Ubi tamen bene monet Suarez *cit. lib. 1. c. 13. n. 4.* cum hoc verbum *juro* in morali acceptione ſit indifferens ad verum vel fictum juramentum, & plerumque quitalia verba profert, necdum intentionem habeat actu jurandi, ſed tantum paratum ſe eſſe demonſtret ad jurandum, ideò attendendas eſſe circumſtantias, ex quibus deſumi poſſit, quo ſenſu illa verba prolata ſint, & ſufficienter cenſebuntur actu juratoria, ſi per antecedentem ſermonem juramentum petitum ſit, vel ſi negotium, quod tractatur, juramentum poſtulet.

Item non ſolùm *verbis* ſed &

signis juramentum præstatur; quod quidem satis certum est circa eos, qui loqui non possunt, verùm etiam probabiliùs affirmatur circa eos, qui loqui possunt cum Cov. *de pactis in princ. n.* 6. dummodo talia signa sint, quæ in communi acceptione declarent animum jurandi. ut si ab aliquo petatur juramentum, & is secundum consuetudinem loci capite annuat, digitos erigat vel librum Evangeliorum tangat. Ita quoque si à subditis homagium seu juramentum fidelitatis & obedientiæ exigatur, usu receptum est, ut singuli per manus porrectionem se id præstare ostendant.

Quærunt DD. an licitum sit jura- 2
re? cùm Christus *Matth.* 5. expressè dixerit: *Nolite jurare, sed sit sermo vester, est est, non non, quod autem his abundantius est, à malo est.* Declarat tamen S. Pont. *in c. etsi Christus. de jurejur.* jurare ex se non esse rem illicitam, cum & apud Sanctos verba juratoria reperiantur. ut 2. *ad Cor.* 1. di-

1. dicit Paulus; *testem Deum invoco in animam meam*, ad Rom. 1. *testis mihi est Deus &c.* dictum autem Christi intelligitur de juramento sine necessitate, aut rationabili causa præstito.

3 Quærunt præterea, an juramentum censeri debeat, si quis *per fidem suam*, aut *honorem sacerdotalem*, aut *nobilitatis* aliquid affirmet, vel promittat? hujusmodi *interpositam fidem* habere vim juramenti tenuerunt Felinus & Abbas *in c. querelam. x. de jurejur. arg. c. ad aures. de his, quæ vi metusve causâ fiunt.* ubi habetur, quòd renunciatio electionis ob Laicorum terrorem facta irrita censenseri debeat, nisi *juramento vel fide interposita* confirmata sit. & in *c. pervenit. de fidejussoribus.* æquè puniuntur Clerici, qui promissionem sub Religione *fidei*, quàm *juramenti* violârunt. Sed dicendum est, cum Lessio *de Iustitia & Iure lib. 2. c. 42. n. 4.* Cov. *de pactis. parte 1. §. 2. n. 2.* prædicta verba non continere juramentum pro-

prie

priè dictum, quia per illa Deus non vocatur in testimonium, sed profe-rens tantùm indicat, se omninò deli-beratum, ac memorem *fidei*, conſci-entiæ, & ſtatus ſui loqui.

Quod ſi tamen aliquis *per fidem Chriſtianam* vel *Catholicam*, aut *per E-vangelium* rem promitteret, vel af-firmaret, pro jurante haberi deberet, quia cenſeretur *authorem fidei* in te-ſtem ſtatuere, *Leſ. & Cov. cit. locis.* Interim, ſicut ex *cc.* pro contraria ſententia *citatis* ſatis apparet, talis *interpoſitio fidei*, quam faciunt Eccle-ſiaſtici ſub ſuo honore ſacerdotali, aut Religionis, item perſonæ illuſtres ſub honore ſuæ dignitatis in foro ex-terno juramenti loco acceptatur, maximè in cauſis minonibus, in qui-bus non decet Eccleſiaſticos facilè jurare *c. ſi quis presbyter. 2. q. 4. vide-ser Gail. lib. 2. obſer. 59. Mynſing. cent. 1. obſer. 17.*

4 Porrò juramentum ut ſit licitum obligatorium debet habere *tres* virtutes nimirum *veritatem, judicium,*

at-

atque *justitiam c. animadvertendum*
§ 22 q. 2. Quod ad *veritatem* attinet, illa utique in omni juramento subesse debet, ne Deus in falsitatis testem invocetur. & quidem in juramento *promissorio* duplex veritas interveniat, necesse est, una intentionis seu *veritas dicti*, & altera executionis, seu *veritas facti*. etenim perjurium committitur non tantùm, si non serves, quod promittis, sed etiam, si ab initio servandi intentionem non habueris, quamvis ex post facto serves; quia ejus rei, quæ secundum
6 tuam intentionem falsa fuit, Deum testem adduxisti. *Judicium* quoque in jurando requiritur, id est, debita advertentia & deliberatio. unde fortassis nonnunquam à perjurio excusantur qui malam consuetudinem jurandi habent, & quandoque præcipitanter aliquid falsum sub juramento affirmant. Pueri etiam ante annos discretionis ex defectu judicii validum præstare juramentum nequeunt, post annos autem discretionis

nis validum quidem juramentum præstare possunt *arg. c. 1. de delict. puer.* in judicio tamen propter solemnitatem judiciorum ante annos pubertatis ad juramentum adigendi non sunt. *c. pueri 22. q. 5.*

Iustitia denique juramentum comitari debet quia juramentū non 7
debet esse vinculum iniquitatis *cap. quanto 18. de jurejur.* Unde in primis quotiescunque aliquid sub juramento promittitur, quod intrinsecè malum est, & sine peccato fieri nequit non obligat juramentum v. g. si quis juret ulcisci injurram, vel occidere hominem. Idem est, si abjuretur aliquod bonum vel virtuosum, sicut exemplum ponitur *in c. cum quidam 12. §. illi verò de jurejur.* de illis qui jurârunt non loqui parentibus, fratribus vel sororibus, aut eis humanitatis subsidium exhibere. qua de causa etiam juramentum de non mutuando vel fide jubendo tanquam repugnans charitati proximo debitæ non esse obligatorium, docet Abbas

in c. si verò n. 5. iam d.t. Imò

Imò si juramentum ab initio fuerit injustum, non convalescet, tametsi ex postfacto causa iniquitatis cesset. v. g. si quis stantibus primis sponsalibus juraverit aliam ducere, non tenebitur hoc juramento, licet prior sponsa moriatur. juxta *Reg.* 18. *jur. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit Sanch. de matrim. l.* 1. *disp.* 50. *n.* 6.

8 Præterea ex defectu justitiæ non obligat juramentum factum contra Ius publicum, quod ad publicam utilitatem principaliter introductum est. v.g. si Judex juret, crimen etiam manifestum sine accusatore non punire *c. ad nostram* 21. *d. t.* vel Clericus juret, quòd coram Judice laico litigare velit. *c. si diligenti* 14. *de for. compet.* si enim non obligat juramentum in præjudicium tertij privati, ut mox dicemꝰ, multò minùs obligabit in præjudicium Reipublicæ. Notanter autem dico si Ius publicum directè tendat ad utilitatem publicam; si enim directè respiciat utilitatem pri-

privatorum, & tantùm in consequentiam publicam, valebit juramentum in contrarium præstitum. sic pro utilitate mulierum constitutum est, dotes suas alienari non posse, etiamsi ipsæ consentiant, servandum tamen erit juramentum, si mulieres juraverint, non revocare alienationem rei dotalis. *c. cum contingat 28. de jurejur.* Item quamvis futuræ hereditati renunciari non possit, valebit tamen renunciatio, qua filia acceptâ dote hereditati paternæ sub juramento renuntiat. *c. 2. de pactis in 6.* quia regulariter omne juramentum, quod sine dispendio salutis servari potest, servandum est. *d. c. cum contingat.* Hinc etiam, qui juramento promisit usuras solvere, debet servare suum juramentum, quia verò alter sine peccato accipere non potest, ideò solvens post impletum juramentum eas denuò repetere valebit. *c. debitores 6 d. t. videatur Zoes. eod. tit. n. 53.*

Tandem ad *Iustitiam* juramenti 9
requiritur, ne fit in præjudicium

tertii, nam res inter alios acta aliis obesse non debet. ita invalidè jurat Prælatus, quod non velit repetere bona Ecclesiæ ablata, vel quodcunque aliud contra utilitatem Ecclesiæ facere. *c. 2. & c. sicut d. t.* Sed hæc, quæ de *justitia* juramenti dicuntur, in juramento *promissorio* locum habent, in juramento autem *assertorio* non est necessarium, ut materia sit honesta & justa, neque per se indecens est, adferre Deum in testem facti turpis, si ita publica utilitas, vel magna causa requirat, sicut testes super adulterio aut homicidio producti licitè jurant, quàmvis de re turpi testimonium præbeant. Observat tamen Suarez *de Religione tom. 2. tract. de juramento. lib. 2. c. 3. n. 6.* etiam in juramento *assertorio* posse *injustitiam* committi, illudque fieri illicitum, si nimirum, aliquis secretum proximi, ad quod celandum teneba-tur, sub juramento injustè prodat. Rei quoque indifferentis, quæ in se moraliter nec bona, nec mala sit, non

esse

esse juramentum obligatorium, ad-
instar voti de tali re concepti, nisi
bono aliquo fine V. g. ad sui mortifi-
cationem, vel peccati evitationem
&c. intendatur, docent commu-
niter DD. apud Laym. *in Theol. mor.*
lib. 4. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 3. *Suar. d. l.* 2.
*c.*16. *n.* 4.

Quæstio est non levis momenti, 11
utrùm pactum vel *contractus* de Iure
nullus *confirmetur* per juramentum,
vel utrùm ipsum tantùm *juramen-*
tum servandum sit? Si enim dicatur,
solum *juramentum servandum* esse abs-
que eo, quod *contractus confirmetur*,
tunc si is, qui juravit, juramentum
in vita non impleverit, heres ejus
ad implendum non tenebitur; quia
ut rectè docet Suarez *dicto lib.* 2. *c.* 31.
*n.*16. juramentum quidem obligat
etiam heredibus, & successoribus
ejus, cui juratur, sed non obligat he-
redem ejus, qui jurat; nam jura-
mentum est personale, & animam
jurantis non egreditur. R. In hac
quæstione esse distinguendum, an

contractus sit invalidus in odium creditoris, ita ut is sine peccato etiam veniali ex tali contractu aliquid acquirere non possit, prout fit in contractu usurario, aut metu vel dolo inito; vel an contractus tantùm invalidetur in favorem debitoris, sicut invalidatur alienatio rei dotalis, ad minorennem pertinentis & similes; priori casu non *confirmabitur contractus*, sed ipsum tantùmmodo *juramentum servandum* erit, vel ejus relaxatio petenda, ne Deus vanè & temerè in testem vocatus sit; imò post impletum juramentum repetitio ejus, quod ex tali juramento præstitum est, conceditur. *dicto c. debitores. de iureiur. & c. ad audientiam 4 de his, quæ vi metusvè causa fiunt.* Ad hunc primum casum etiam referunt, si contractus ob publicam utilitatem irritatus sit. & exempla ponunt de *pacto non revocandi testamentum, pacto successionis super viventis hereditate, de donatione omnium bonorum, pœna sponsalibus adjecta &c. Cov. in relect. c.*

quam

quàmvis. de pact. in 6. p. 2. in pr. & §. 1. n. 8. Laym. d. l. c. 8. n. 4. verùm si evidenter constet, juramentum cedere in præjudicium Reipublicæ, jam superius diximus, id obligatorium non esse. at in exemplis propositis DD. non sunt concordes, teste ipso Laym. *d. l. vers. quæ doctrina*, utique quia non satis constat an dicti actus principaliter ob favorem publicum, vel potius ob favorem privatorum, & ex consequenti tantùm publicum à legibus irritati sint.

Altero casu videtur mihi probabilius ipsum contractum juramento *confirmari*, ut ex textu *c. quàmvis de pactis in 6.* satis apparet, ubi pactum, quo filia hereditati paternæ renunciavit, dicitur *juramento firmatum* & ipsum *pactum servari* debere, & in *L. Cod. si adversus venditionem.* dicit Imperator, minorem, qui adversùs venditionem rei suæ *juratam* venit, non tantùm *perjurium*, sed etiam *perfidiam* committere, si *perfidiam*, ergo apponitur, non tantùm *juramentum*

sed etiam pactum valere. Videtur mihi addi posse alia multum efficax ratio, quod lex Civilis irritans pacta vel contractus jure Naturæ & Gentium validos non comprehenderit, nec potuerit comprehendere contractus *juratos quatenûs tales*, hi enim propter religionem juramenti non cadunt sub jurisdictionem Civilem & sæcularem, sed Ecclesiasticam. sicut in simili, quàmvis lex civilis pœnalis comprehendat omnes Cives Romanos, non tamen illos, qui etiam post talem legem Ordines Clericales assumpserunt, tales enim *quatenùs nunc tales* ab initio non censebantur comprehensi, vel saltem postea exempti, hinc etiam est, quod contractus vel actus jurati, quàmvis quoad executionem sint mixti fori, quoad cognitionem tamen de viribus & valore juramenti ad judicium Ecclesiasticum spectent. *c. licet mulieres. De jurejur. in* 6. *c. ult. de foro comp. in* 6.

Quod attinet ad divisionem jura-

mea-

menti, frequenter hactenus insinuatum est, juramentum dividi in *promissorium & assertorium. Promissorium* dicitur, quod ad confirmationem promissionis, pollicitationis, seu quorumcunque contractuum & pactorum adiicitur. *Assertorium* verò quo simpliciter sine promissione aliquid affirmamus, vel negamus, & de hoc juramento *assertorio* in Processu iudiciario potissimum negotium est.

Circa *relaxationem* juramenti no- 12
tandum est, quòd si juramentum sit *apertè nullum*, ut quia ex parte jurantis sine peccato quamvis veniali tantùm observari non potest, vel quia directè spectat præjudicium tertii, non indigebit absolutione, sed iurans propriâ autoritate contravenire poterit, quia quod nullum inducit vinculum, nullam absolutionem requirit *Glos. inc. 2. in verbo absolvimus. & in c. cumquidam §. ultimo ubi Innoc. & Panorm. de jurejur.* facit textus in *c. quanto. & c. si verò eodem t.* licet autem *in d. c. 2. & c. cum quidam.* ju-

rantes etiam in similibus juramentis jussi fuerint absolvi, illâ tamen absolutionem non fuisse propriè dictam, sed tantùm declaratoriam nullitatis, cum Glossa *in eodem c. 2. n.* tradit Zœsius *d. t. n.* 47.

Cæterùm si juramentum ex parte jurantis sine peccato observari possit, sed tantùm illicitum sit ex parte creditoris; vel sit dubium, utrum propter certas circumstantias, vel supervenientes causas aliquis ad jurandum teneatur? his casibus absolutio saltem ad cautelam peti debet, eamque superiores Ecclesiastici suis subditis, in quos Iurisdictionem Episcopalem vel quasi Episcopalem habent, concedere possunt.

Juramentum autem in gratiam alicujus factum, ab eoque acceptatum validum & obligatorium ille solus remittere potest, in cujus favorem factum, & cui ex eo jus quæsitum est; & quamvis aliàs juramentum à solo jurante & soli Deo factum sicut votum, in rem evidenter melio-

rem

rem propriâ authoritate commutari possit, v. g. qui vovit aut juravit peregrinari certo die, potest illo die assistere ægroto, ob eius charitatem & commoditatem: Secùs verò est, si juramentum alteri factum sit, in cuius præjudicium commutatio cederet. v. g. qui juravit Titio donare 10. non potest donare pauperi: ut etiam præced. Cap. dictum.

Censent tamen DD. aliquando etiam juramentum validum per potestates Ecclesiasticas & temporales remitti posse saltem indirectè subtrahendo scilicet materiam; idque tunc quando alicui ex causa Ius suum auferre possunt. sicut ita *in c. excommunicamus §. moneantur de hæreticis.* Princeps per censuras cogi potest, ut expellat hæreticos de suo territorio, & si propter negligentiam in expellendo excommunicatus fuerit, nec intra annum satisfecerit, Vasalli & subditi ejus per Papam à juramento fidelitatis absolvuntur, & terra eius Catholicis exponitur occupanda.

Idem est, si ex qualibet alia causa dignitate amoveatur is, cui subditi ratione officii adstricti erant. Pariter quidquid sit, an juramentum metu extortum valeat, quod plerique affirmant propter tex. *in c. si verò 8. De Iure jur.* & quòd metus, sicut non tollit simpliciter consensum *l. si mulier. §. 5. ff quod metus causa.* ita nec tollat ipso jure, saltem regulariter, obligationem, Magistratus tamen qui contractum ex causa metus rescindere, etiá partem ad relaxandum juramentum adigere potest, vel eo nolente etiam ipse Magistratus relaxare, & tali casu factum judicis habebitur pro facto partis. *arg. L. ß ob causam. C. de evict.*

13 Demùm perquàm notabile est, quòd *juramentum soleat regulari secundùm naturam actus cui adiicitur, & assumat illas conditiones, quæ suâ naturâ insunt illi actui.* E. g. juravi ducere Titiam, non tenebor, si notabilis mutatio accidat, ut quia deformatio, fornicatio, depauperatio su-

pervc-

pervenit. *c. quemadmodum de Iurejur.* Item ex communi sententia, qui juravit aliquam ducere, potest ingredi religionem ut præcenti Cap. ex Sanch. *lib.* 1. *disp.* 43. *q.* 1. retulimus. cui non obstat, quod docet Nav. *Consil.* 4. *de Regular.* Alumnum jurantem servitia Ecclesiæ, non posse sine licentia Ordinarij, qui jura Ecclesiæ administrat, ingredi Religionem, eo quod jus alteri quæsitum ex juramento non possit in opus magis pium commutari, ut paulò antedictum: Nam diversitatis ratio inde elucet, quòd sit de natura sponsalium, & matrimonii, ut per ingressum in Religionem dissolvantur. *t. t. de Convers. Conjug.* non autem idem sit de natura alumnatus. Similiter, qui fecit alicui promissionem, aut donationem juratam, , non prohibetur eam revocare ex illis causis, quibus donatio revocatur, nimirum ob ingratitudinem donatarii, vel supervenientiam liberorum ex parte donatoris. *t. t. C. de revoc. don.* Ratio

est, quia juramentum non *extendit*, sed tantùm *intendit* obligationem, hoc est, non facit, ut obliget *in plus*, sed ut *firmiùs*. quæ quidem ratio optimè procedit in actibus etiam sine juramento validis; at verò difficile videtur, quomodo in actibus ipso jure invalidis, & tantùm juramento confirmatis jurans non obligetur *in plus*, cum sine Iuramento *ad nihil* obligaretur? huc commodissimè servit nostra ratio supra posita, quod jurans quidem sine iuramento, fuisset *ad nihil* obligatus, & cum juramento *in plus*, si solum Ius Civile spectemus, non verò si Ius naturale aut Gentium, juxta quod regulatur actus juratus, cui *quatenus jurato* non obfuit Iuris Civ. irritatio.

14 Ex eodem principio, quod juramentum non immutet naturam actus, inferunt, quòd actus, qui fuisset cessante juramento validus, valeat, tametsi factus sit contra Iuramentum de eo non faciendo præstitum. ita valet matrimonium contractum

contrà sponsalia jurata prius cum alia contracta. *c. sicut 22. x. de sponsal.* venditio cum traditione tertio facta, contra venditionem juratam sine traditione prius alteri factam. *gl. in l. quoties C. de rei vind. Cov. in c. quamvis p. 1. §. 4. n. 5. de pact. in 6.* quamvis interim talis haud dubiè peccet, & perjurus sit. *Pan. in c. dilecto. De prab. n. 17. & in c. intellecto de Iurejur. n. 8. Suar. de Iuram. lib. 2. c. 19. n. 6.*

Tractat etiam Fachin. *lib. 1. Controv. c. 7.* an, qui juravit se solutu- 15
rum, possit opponere compensationem, si ex alia causa sibi à creditore aliquid debeatur? & affirmativè concludit, quia de natura solutionis est, ut censeatur quoque per compensationem fieri *l. si debitor. ff. qui pot. in pign. l. dedisse De V. S.* mihi videtur illa sententia multum rationabilis, quæ distinguit cum Pan. *in c. ad nostram 7. de Iurejur. n. 3.* an obligatio, quæ sit materia compensationis, contracta fuerit ante juratam solutinem

onem, vel an postea; priori casu non habebit locum compensatio, quia juramentum recipit interpretationem ex mente paciscentium, & præcipuè ejus, qui illud sibi curat præstari. *c. quacunque arte. 22. q. 5. quacunque arte verborum quisque juret*, ait D. Greg. *Deus tamen ita hoc accipit, sicut ille cui juratur.* Sed si obligatio sit prius contracta, & ab altero non ignorata, utique mens fuit ejus qui juramentum procuravit, non fictam, sed veram realem solutionem sibi fieri: nam aliás plerumque frustra exegisset juramentum *de solvendo*, cum solutio compensatoria per viam retentionis fuerit in sua propria potestate, ut vel parum consideranti patebit. Altero autem casu procedet compensatio tanquam non prævisa, & ideò juramento non exclusa, sed in natura solutionis comprehensa, nisi fuerit talis obligatio, quæ potuit tempore juramenti prævideri, sicut est casus *in d.c. ad nostrã.* Esset hic ansa *de restrictionibus mentalibus.*

talibus aliquid dicendi, an & quan- 16
do licitæ sint, ac à perjurio excusent, sed in aliam occasionem differimus, videatur Nav. *in can. humanæ aures* 22. *q.* 5. Sanch. *lib.* 3. *mor. cap.* 6. Laym. *in Theol. mor. lib.* 4 *tr.* 3. *c.* 13. *& c.* 14. *n.* 7. Zœs. *ad tit. Decret. de Iurejur. n.* 85. ubi ex magna causa amphibologicum sermonem à mendacio & perjurio excusant.

CAPUT

CAPUT IV.

DE USURIS.

MAteriam usurarum ad cognitionem Parochi spectare tum ratione peccati, tum ratione Ecclesiasticæ sepulturæ, & cautionis ab usurarijs de restituendis usuris in articulo mortis per Parochos exigendæ *jux. c. 2. de usur. in 6.* superius *in p. 4. c. 3. sub n. 20.* insinuatum est, placuit proinde etiam hanc Manuali Parochorum superaddere.

§. I.

Quid sit usura, ac quo jure prohibita?

SUMMARIA.

1. *Usura quid?*
2. *Usura propriè tantùm in mutuo committitur, si pro eo aliquid temporale pretio æstimabile exigatur.*

3. *Vsura quidem requirit pactum, sed id aliquando est implicitum.*
4. *Vsuræ quædam licitæ, seu compensatoriæ lucri cessantis, aut damni emergentis.*
5. *Vsuræ jure divino, naturali, & humano prohibitæ.*
6. *Qua ratione Deus concesserit Iudæis fœnus cum gentibus exercere.*
7. *Explicantur alij textus scripturæ.*
8. *Cur Vsuræ etiam jure naturali prohibitæ.*
9. *Sub nomine mutui potest aliquando latere alius contractus licitus.*
10. *Vsuræ non possunt aliquâ lege permitti.*
11. *Peccant graviter contra Iustitiam, qui Iudæis vel alijs exercitium usurarum concedunt.*
12. *An peccet debitor solvendo usuras?*

VSuræ apud Latinos *usum*, vel potiùs & magis accommodè ad sensum hujus loci *fructum &* 1
ilitatem *ex usu rei* provenientem gnificat, veluti Cicero *in Verrem*: *ratis*, ait, *lucis usuram dedistis?* idem *de senectute*: *terra* inquit, *nquam sine usura reddit, quod acce-*. Verùm ad præsentem materiam rias *usuræ* descriptiones, & definines adferunt interpretes, ex qui-

bus

bus omnibus sequentem colligo, & definio, *usuram esse, quid quid ex mutuo temporale, & pretio æstimabile per pactum lucri causa sorti seu debito principali accedit.* considerabimus singulas hujus definitionis particulas.

2 Dico I. *ex mutuo*: nam usura propriè tantùm in contractu mutui committitur, *per textum & DD. communiter in c.* I. 14. *q.* 3. sicuti & sententia Christi paulò post citanda de solo mutuo loquitur. Est enim mutuum ex sua natura contractus gratuitus, ubi regulariter sufficit, pecuniam mutuò acceptam sine alio additamento mutuanti reddere. In aliis verò contractibus, ut in emptione, venditione, permutatione, locatione & similibus, potest quidem committi dolus vel iniquitas habens annexam obligationem restitutionis, ut si res carius justo pretio, ut vitiosa vendatur &c. sed non usura propriè dicta, adeóque nec ibi pœnæ specialiter contra usurarios latæ locum habent, nisi quatenus aliquando *palliative*

tum mutuum continent, prout ista omnia in hoc,& sequenti §.magis declarabimus.

Dico II. *Temporale*; si enim pacíscaris cum mutuatario, ut præter restitutionem pecuniæ mutuatæ teneatur tibi conferre beneficium Ecclesiasticum, vel dare rem aliam spiritualem aut sacram, potiùs *simonia* quàm *usura* commissa dicetur.

Dico III. *Pretio æstimabile*, unde quamvis de Jure Civili usura propriè in pecunia numerata consistere videatur. *l. eos 26. §. 1. & passim C. de usuris. Panor. ad rub. hujus tituli n. 4.* de Jure tamen Canonico (quod circa usuras tanquam in materia peccati & conscientiæ prævalet juri Civili) usura censetur, licet res aliæ, quàm pecunia ultra sortem à mutuatario exigantur, ut v. g. certam quantitatem frumenti solvat, & certas operas præstet, ut actionem quam contra mutuantem habet, remittat &c. *cap. & 3. causa 14. q. 3.*

Notanter autem loquor, si talia

ultra

ultra capitale mutuatum exigantur, nam si, quod aliquando fieri soleto operario vel opifici volenti à te mutuare pecuniam, eandem tribuas cum pacto, ut is nullam quidem pecuniam restituat, sed pro ea operas præstet, vel opus aliquod conficiat, non erit usura, sed contractus licitus, atque idem, acsi operario mercedem anticipató dedisses, dummodo operæ præstitæ non pluris æstimentur, quàm pecunia numerata.

3 Dico IV. *per pactum*: id est, ut mutuatarius ex obligatione contracta teneatur aliquid ultra sortem principalem mutuanti solvere. quare secùs est, si mutuatarius propria sponte ex mera liberalitate vel gratitudine mutuanti aliquid tribuat, pro ut in simili de simonia dicitur, non esse simoniam, si pro re spirituali absque præcedenti pacto aliquid liberaliter oblatum accipiatur. si enim mutuatarius posset cuicunque alteri res suas donare, cum quilibet rei suæ moderator sit & arbiter *l. in re mandata.*

data. C. mandati. sanè mutuans qui ei mutuando beneficium præstat, non debet esse deterioris conditionis, ut munus pro beneficio liberè oblatum accipere nequeat, cùm naturalis ratio hominibus obligationem *antidoralem*, seu reciprocæ gratitudinis erga benefactores imponat.

Interim tamen quia *antidoralis* obligatio ordinariè tantùm moralem honestatem, non juris vinculum, aut actionem vel exactionem inducit, neque obligat ad certum & determinatum gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere, idcò non auderem à peccato usuræ, saltem *mentalis* excusare illos, qui liberalitatem & gratitudinem non tam respectant, quàm extorquent, & indigentibus hominibus non aliter mutant pecunias, quàm sub spe prosolutionis, & etiam exactione largæ remunerationis. Id quod satis probat textus *in c. consuluit* 10. *x de usu-* ubi Pontifex usurarium judicat um, qui (utimur verbis ejusdem cap.)

cap.) *non aliàs mutuo traditurum proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante plus tamen forte recipiat.* Sunt tamen nonnulli qui cum Les. *de justitia & jure l. 2. c. 20. n. 34. & 56.* hunc textum exponant de eo casu, quando non sub ratione gratitudinis, sed sub ratione justitiæ & obligationis civilis aliquid ultra sortem exigitur: hæc tamen interpretatio non videtur textui generaliter & sine tali distinctione loquenti satis convenire, nam obligatio civilis & justitiæ, cum ex ipso contractu mutui, utpote gratuiti, esse nequeat, necessariò ex conventione & pacto accedente esse deberet. Pontifex autem supponit omnem conventionem, quæ obligationem civilem inducat, abesse, & in eo magis se fundat, quod mutuans non velit aliter mutuare, quàm ut aliquid ultra mutuatam pecuniam quocunque deinde titulo vel colore sive justitiæ, sive gratitudinis, à mutuatario recipiat. Idque confirma-

tur

tur *ex c. 2. vers. alij & c. 3. vers. si quis causa* 14. *q.* 3. ubi SS. P. P. *donativa & munuscula* (intellige, non liberâ sponte oblata, sed exacta) à debitoribus recipientes usurarios reputant; *munuscula* autem & *donativa* utique rationem justitiæ non habent, sed remunerationis.

Ratio autem fundamentalis mihi videtur, quod usura principaliter prohibita sit, ob gravamen indigentium, qui spe recipiendæ pecuniæ cum suo detrimento quælibet pacta etiam facilè ineunt. est verò etiam gravamen indigentium, si sciant, se pecunias aliter obtinere non posse, quàm si liberaliter donent mutuanti non sine damno suarum facultatum, tales proinde donationes in effectu tantùm differunt à pactis propriè usurariis, quia utrinque lucrum ex mutuo est, non voluntate libera data, sed necessitate recipiendæ pecuniæ extortum. quare cum dicimus usuram tantùm *ex pacto* esse, ita explicari debet, ut sit *ex pacto* vel etiam

ex

ex *tali actu*, qui pacto saltem tacito *æquivaleat*, atque hanc nostram sententiam docet Syl. *verbo usura* §. 1. *n.* 1. & 2. Cov. *variarum resolut. libro* 1. *c. ult. n.* 4. & Navar. *in commentario de usuris notabili* 10.

Dico denique, *lucri causa*: & quidem hoc lucrum debet esse ex mutuo tanquam fructus pecuniæ mutuatæ, non verò ex alia causa prorsus à mutuo separata.

Ideo non erit usurarius censendus Dominus vel Parochus, qui colono vel parochiano mutuo dat frumentum pro semine, aut pecunias pro emendis rebus ad culturam agri necessariis, ea conditione, ut tanto diligentius, & sine diminutione pensionem annuam pro locato prædio rustico, aut decimis persolvat; quia istæ pensiones & decimæ debentur ex alia causa quàm ex mutuo scilicet ex contractu locationis & jure parochiali.

Item neque ille lucrum capit, sed suum consequitur, adeóque & ab

usura immunis est, qui debitori novum mutuum præstat, eo pacto, ut id una cum vetere debito tanto citius sibi restituatur *Henric. Canis. de usuris c. 1. n. 6. arg c. 1. in fine de usur.*

Præterea aliquando â mutuatario 4
aliquid exigi potest ultra sortem per modum *interesse*, & *compensationis*, quando scilicet sua interest, pecuniam non dari mutuo. Unde DD. communiter & rectè usuras dividunt, quod aliæ sint *merè lucratoriæ*, & propterea illicitæ, aliæ verò *compensatoriæ*, & licitæ. Atque hoc interesse creditoris ob quod fit compensatio, pariter duplex constituunt: Unum quod vocant *interesse lucri cessantis*, alterum, *interesse damni emergentis*. Interesse *lucri cessantis* dicitur, quando creditor ex pecunia potuisset sibi honestum lucrum sperare, ut si eadem mercaturæ, emendis prædiis aut reditibus annuis applicasset &c. nihilominus neglecto illo lucro in gratiam amici mutuam dederit, quo is non iniquè aliquid ultra sortem

petit creditor, ne officium tuum, & beneficium alteri præstitum sibi damnosum sit. *L. sed si quis 7. ff. quemadmodum testam. aper.* Quàmvis autem And. Gail. *lib. 2. observ. 6. n. 2.* ex praxi Cameræ Imperialis non videatur admittere *interesse lucri cessantis*, nisi in mercatore solito negotiari: communis tamen opinio est in contrarium, teste Canisio dicto *c. 1. n. 8. Navar. in Man. Confess. c. 18. n. 211.* nam eadem æquitatis ratio, quæ facit, ut mercator æstimare possit carentiam lucri, etiam in aliis hominibus militat, dummodò quantitas *interesse* huius arbitrio boni viri æstimetur, & consideretur, lucrum speratum potuisse variis ex causis & accidentibus incertum fuisse.

Interesse *damni emergentis* appellatur, quando creditor propterea à liquid exigit à debitore, quod ob mutuatam pecuniam ipse non tantum lucro caruerit, sed insuper damnum aliquod in rebus suis passus sit, ut quia ob defectum pecuniæ dom

non restaurata corruit; vel quia mutuavit frumentum, & cum id suo tempore non redderetur, creditor interea coactus fuit alibi cariori pretio frumentum emere &c. Ubi sané debitor gravari non debet, ut creditorem indemnem servet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur. *l. non debet ff. de R. I.* & beneficium creditoris sibi ipsi damnosum sit. De utroque hoc interesse *lucri cessantis & damni emergentis*, textus est expressus *in l. 3. §. ultimo. De eo, quod certo loco. l. unica C. de sententiis, quæ pro eo quod interest* &c. Utrum autem interesse *lucri cessantis*, & *damni emergentis* in pactum deduci possit, ut peti, etiamsi debitor in mora non fuerit, & nunquam pro solutione interpellatus, in §. sequenti dicemus, ubi sæpius de hac materia mentio incidet.

Post explicatam usuræ definitionem restat, ut videamus quo jure usuræ prohibitæ sint. Et in primis contra Carol. Molinæum *in tracta-*

tu de commerciis n. 7. & 11. pro certo tenendum est, usuras etiam juxta moderationem Juris Civilis exercere, esse peccatum, ita ut qui contrarium pertinaciter asserere ausus fuerit, in eum, tanquám hæreticum, animaduerti debeat juxta constitutionem Concilii Viennen. *in clementina unica §. sanè h. tit.*

5 Etenim ex communi DD. sententia usuræ non tantum jure humano ecclesiastico, sed etiam divino & naturali prohibitæ sunt: prout expressè affirmat Pontifex *in c. 4. 1.* ubi dicit: quòd *usuras utriusque testamenti pagina detestetur &c.*

Quod igitur attinet ad Testamentum Vetus, habetur, *Deuter. 23. non fœnerabis fratri tuo* (id est, qui eiusdem fidei est, sicut Apostoli omnes Christianos appellarunt fratres *actorum 1. & 6. c.* & sæpius alibi) *ad usuram pecuniam nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Item *Ezechiel c. 18* dicitur, *qui ad usuram non commodaverit, & amplius non accepit*

sic *justus est, & vita vivet.* Denique *in psal.* 14. legitur, eum *habiturum in tabernaculo Domini, qui ingreditur sine macula, operatur justitiam, loquitur veritatem, & pecuniam suam non dedit ad usuram.* In Novo Testamento *Luca* 6. c. ait Christus, *mutuum facite, & mutuum date nihil inde sperantes*, hoc est, nihil ultra, quàm dedistis, lucri causa recipientes.

6 Verùm contra istos Scripturæ textus aliqua argumenta opponuntur, quæ breviter referemus & resolvemus. Primò in illo loco *Deuter.* 23. dictum est, *non fœneraberis fratri tuo, sed alieno*, ergo videtur consequens, usuras non esse malum intrinsecè, & de naturæ prohibitum, aliàs Judæo Deo non fuisset concessum usuras a alienos sive gentiles exercere. ut extra bellum, & sine causa non et occidere gentilem & infidelem, n occisio innocentis intrinsecè & e naturæ mala sit. R. duplicem rri huius objectionis solutionem, na est, quòd Iudæis olim concessum

sum fuerit usuras exercere cum gentilibus ad vitandum maius malum, ne scilicet cum suis fratribus & Iudæis id facerent. sicut ex D. Tho. refert Canis. *dicto c.* 1. *n.* 22. aliquando enim inter duo mala, quorum utrumque evitari nequit, tolerari potest minus malum ad evitandum maius, non quidem approbando, sed dissimulando minus. Altera solutio, quæ magis mihi placet, est, quod Deus Dominus universi omnes gentilium facultates, & terras tradiderit in potestatem Iudæorum, proinde cum illas facultates potuissent gentibus per arma & bellum auferre, potuerunt etiam per usuras, sicut *Exod.* 12. *c.* eisdem Iudæis concessum fuit, ut Ægyptios spoliarent vasis argenteis & aureis ac vestibus sibi commodatis. Quam interpretationem etiam probat D. Ambros: relatus *c. ultimo. causa* 14. *q.* 4. *cui jure* quit, *inseruntur arma, huic jure* dicuntur *usuræ, sine gladio se de* uleiscitur, *qui fuerit usurarius exa*

nimici. Est tamen advertendum, quod hoc sensu & casu *usura* sumatur in generalíori significatione pro quolibet usu vel lucro, non in specie quatenus est pactum illicitum & malum intrinsecè; nam tunc *usura* peccatum est, quando ex sola causa mutui aliquid ultra sortem accipitur; secùs verò, si ex alia causa â mutui separata, ut *jure belli* teste D. Amb. *ind. c. ult.* & multo magis jure dominii jam prius sibi â Deo addicti. Quemadmodum etiam diximus, esse *usuras compensatorias*, in quibus ex causa *lucri cessantis vel damni emergentis* aliquid ultra sortem exigitur, quæ *usuræ* quidem dicuntur, sed *pecuniosæ* non intelliguntur.

2. Opponitur alius locus apud Lucam 19. *c.* ubi Dominus reprehendit servum, quòd pecuniam suam *non dederit ad usuram.* N. per hanc parabolam Christum non approbare usuras, sed tantùm referre vitium hominum, eosque commonere, ut cùm in istis lucris terrenis &

perituris sollicíti sint, multò magis debeant esse solliciti in fructu bonorum operum, & lucro vitæ æternæ, sicut etiam de villico defraudante Dominum suum similis parabola apud eundem *Luc.* 16. *c.* habetur.

3. Videtur, quòd ille textus *Luc.* 6. *c.* *mutuum date, nihil inde sperantes*; sit accipiendus tantùm de *consilio*, non autem de *præcepto* Evangelico. Quia dare mutuum non est de præcepto, sed de consilio & charitate. R. priorem partem huius textus videlicet *mutuum date* non esse quidem de præcepto, esse tamen partem alteram: *nihil inde sperantes.* Quod debet colligi ex textibus veteris testamenti prohibentibus usuras, quos supra allegavimus. Nam Christus non venit *solvere legem, sed adimplere Matth.* 5. *c.* Similis textus habetur *psal.* 75. *vovete, & reddite Domino Deo vestro* ubi prius verbum *vovete*, non est præcepti, sed posterius *reddite.* juxta illud *Deuter:* 23. *si nolueris vovere, absque peccato eris,*

qui

quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo &c.

Quod autem jure Naturæ, sive naturali ratione usura illicita sit probat *Covar. resolut. lib. 3. c. 1.* & cum eo communiter DD. hoc argumento: vel enim creditor capit lucrum ex mutuo pro *ipsa sorte*, vel pro *usu* ejus? sed neutro modo citra iniquitatem potest lucrum capere. Non enim pro ipsa *sorte*, quia justitia commutativa, quæ in contractibus observatur, desiderat æqualitatem, & non permittit, ut pars contrahens plus reddere teneatur, quam accepit. Ita in permutatione vel emptione pro equo valente in summo pretio centum florenos non potest accipi alius equus, vel quantitas pecuniaria centum imperialium. Similiter ergò & in mutuo pro centum florenis mutuo datis non licet accipere plus quàm centum florenos. Sed neque pro *usu* sortis lucrum peti potest, quia usus vel utilitas cujuslibet rei pertinet

8

ad dominum, mutuatarius autem efficitur dominus rei mutuatæ (mutuum enim inde nomen accepit, quod *ex meo tuum fiat l. 2. ff. si certum petatur*) ergò ad mutuatarium & non ad mutuantem *usus* pertinet. Et cum mutuum tantùm in pecunia, vino, frumento & similibus rebus usu consumptibilibus consistat, usus ejus à dominio separari non potest. *L. hoc Senatusconsulto. in fine ff. de usu fructu earum rer. quæ usu consum.* Hinc est, quòd in conttactu locationis si v. g. alteri per annum locem ædes meas, vel agrum meum magis quàm in mutuo aliquid peti possit ultra restitutionem domus vel agri, quia in hoc contractu locator manet dominus, & consequenter utilitas ex re sua à conductore percepta ad ipsum respicere debet. Præterea locatio est rerum talium, quæ permanentes usum & utilitatem adferunt, pecunia autem ex sua natura sterilis est, ejusque usus in exponendo seu abusu consistit. Quod & Aristoteles divi-

na

na lege destitutus solo lumine naturæ agnovit, dum 1. *polit. c.* 7. ait: *maximè præter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in fœnore nummus nummum pariat.*

Si verò alicui istæ rationes nimis subtiles videantur, is apprehendat aliam, quam tradit Corasius *lib.* 3. *Miscell. c.* 21. *n.* 7. quod usuræ ideo naturali æquitate inspecta illicitæ sint, cùm absorbeant egentium fortunas, dum hi in necessitate constituti pecuniis à fœneratoribus sub quacunque lege acceptis tandem ad summam inopiam redigantur, nova semper debita contrahentes. Item quod iniquum sit, actum charitatis & societatis humanæ, qui in mutui datione consistit, ad proprium lucrum & alterius damnum convertere. Unde si quis objecerit contra priores rationes, creditorem saltem aliqua ratione comparari posse dominium retinenti, sicut *qui actionem ad rem repetendam habet, rem in suis bonis habere videtur, l. qui actionem*

15. ff. de R. I. L. id apud se. 143. ff. de V. S. L. rem in bonis 52. De acquir. rer. dom. Item quod contractus ex conventione partium etiam contra vel præter ordinariam suam naturam legem accipiant. c. contractus. De R. I. in 6. l. contractus 23. ff. eod. tit. sane difficilis erit responsio, nisi juxta hanc posteriorem rationem dicamus, allegatas juris regulas nō procedere, si exinde proximus contra æquitatem & Christianam charitatem damnificetur, ita enim leges ex bono & æquo interpretari oportet, ut sint conformes illi generali juris præcepto *alterum non ladere* §. 3. I. de i. & l. placuit C. de judic.

Non relevat creditorem si dicat, se debere interim carere pecuniâ cum periculo, ne fortassis debitor planè depauperetur, & nunquam restituat, atque ideo se non inique aliquid ultra sortem petere. Nam cum sit in arbitrio creditoris, an velit mutuare, nec ne, sola carentia pecuniæ quæ ex ipsius voluntate processit, non e

justu

justus titulus ad aliquid amplius exigendum, nisi sit conjuncta cum interesse *lucri cessantis* vel *damni emergentis*. Periculum verò amittendæ sortis aliquando quidem facit jus, ut rectè aliquid præter sortem petatur sicut in §. sequenti dicemus, sed id tunc demùm: si per pignora aut fidejussores non possit creditori satis cautum esse: debet quoque cogitare, etiam retentam domi pecuniam non fuisse extra omne interitus periculum.

9 Deinde etiam hic obiter notari potest, si quis â te roget mutuum non causa necessitatis suæ, sed utilitatis quærendæ, volens honestam negotiationem instituere, prædia emere, & lucrum ac fructus ex hac pecunia quærere, poteris cum eo tale pactum facere, ut is præter pecuniam acceptam teneatur tibi aliquam partem lucri restituere & communicare; talis namque contractus in effectu est species *societatis*, contractus de jure gentium liciti, in qua al-

ter

ter pecuniam, alter operam conferat. §. 2. *Instit. de societate.* Imò sicut in multis contractibus *mutui* nomen non habentibus, cum gravamine tamen proximi initis, potest latere implicitum mutuum & usura, per ea, quæ tradentur in §. seq. ita, cùm contrariorũ eadem sit ratio, sub nomine *mutui*, præsertim à plebeis, & jurium ignaris prolato, ubi proximi potius augmentum, quàm damnum quæritur, potest sub sse implicitus alius contractus societatis, emptionis, census &c. ut inferius ad fin. cap. dicemus,

10 Cæterùm cum usura jure divino & naturali prohibita sit, non potest ullo modo fieri licita, nec dispensatione Pontificis, qui non dispensat contra jus divinum & naturale *c. super eo. tit.* nec consuetudine, quia jus divinum & naturale sunt immutabilia §. *sed naturalia. Inst. de I. N. G. & C.* & diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat: ac multitudo peccantium non parit peccato

patro

patrocinium. *cap. ultimo de consuetudine*: nec favore piarum causarum, videlicet ob utilitatem Ecclesiæ, pauperum, vel redemptionem captivorum. *dicto c. 4. h. t. c 1. & seq. causæ 14. q. 5. immolantis enim ex iniquo oblatio est maculata, & dona iniquorum non probat altissimus. Eccles. 34.* nec denique ex legibus & statutis Principum ac Dominorum sæcularium, quia nec ipsi in materia peccati aliquid contra jus divinum statuere possunt *Clementina unica h. t.*

Unde quamvis leges Civiles permiserint usuras personis illustribus, & negotiatoribus cum quadam moderatione, ut scilicet maximæ usuræ essent *duodecim procentum*, idq; solū *in fœnore nautico*, ubi periculum erat mutuantis; communes verò usuræ *sex*, *sex* vel etiam *quatuor pro centum* ut ex *l. eos. C. de usuris* interpretatur Less *lib. 2. c. 20. n. 33.* has tamen leges non excusare à peccato (niquatenus interesse *lucri cessantis*, vel *damni emergentis*, aut justa ratio

pericu-

periculi concurrit) contra Carolum Molinæum loco supra citato communiter sentiunt Catholici DD.

Sed ijdem DD. concedunt, ad vitandum majus malum valere legem, quæ certum modum usuris statuat, nō quod exinde usuræ licitæ reddantur, sed ne usurarii sub alio prætextu *lucri cessantis*, *damni emergentis*, *aut periculi*, nimium à debitoribus extorqueant. Prout hodie in Imperio passim usitatum est, *ut* 5. *pro* 100. exigantur. quare qui secundum talem moderationem usuras exegerit, in foro externo, quantùm ad pœnas non censebitur usurarius, eò quod præsumatur, has usuras non esse merè *lucratorias*, sed *compensatorias* lucri cessantis vel damni emergentis, cum quilibet ex 100. facilè annuatim possit 5. lucrari, si pecuniam emendis prædiis aut alteri honesto negotio applicet.

Interim tamen, si pecunia revera apud mutuantem fuisset otiosa, & *nihil sua interfit*, eam mutuo dari volu-

volunt plerique, talem in foro interno seu conscientia (ubi non ex præsumptione, sed ex veritate procedi-tur) haud esse immunem ab usura, præsertim si debitor necessitatis causâ non lucri & utilitatis, sicut paulò superius diximus pecuniam mutuam receperit, videatur Henri. Canis. *de usuris c.* 1. *n.* 9 ubi ex verbis Recessus Deputatorum Imperij Spiræ celebrati Anno 1600, & à Rudolpho II. confirmati, demonstrat, jure Imperii 5. *pro* 100. tantùm ex præsumptione *lucri cessantis* vel *damni emergentis* permitti.

Præterea *in c.* 1. *h. t. in 6.* gravi- 11
ter, & sub censuris prohibet Pontifex, ne Christiani, præsertim Ecclesiastici, in suis terris alienigenas exercentes usuras habitare permittant: & mortaliter adversus Justiniæ legem peccare Magistratus ait Paul. Laym. *Theol. morali lib.* 3. *tractatu* 4. *c.* 6. *n.* 4 qui Judæis, aut aliis, usurarum licentiam dant cum obligatione seu pacto magni tributi solvendi,

vendi. ex hoc enim cooperantur peccato usurarum, & inde fit, ut ad solvendum istud tributum Iudæi vel alii usurarii usuras augere & pauperes magis opprimere cogantur.

12 Demùm pro coronide hujus §. etiam inquirendum est, an non tantùm creditor peccet exigendo usuras, sed etiam debitor eas promittendo? Negativa satis evincitur *ex c. debitores, 6. x. de jurejurando.* ubi dicitur, quòd debitor, qui sub juramento promisit, solvere usuras, teneatur, hoc juramentum servare, quamvis postea authoritate Magistratus creditor compelli debeat, ut usuras restituat. unde subsumitur, obligatio, cui accedens juramentum validum est, & servandum, non est peccaminosa, quia juramentum cum peccato & contra bonos mores non est obligatorium juxta regulam 48. *juris in* 6. sed huic obligationi, qua debitor promittit solvere usuras, potest accedere juramentum validum, & servandum, ergò &c. Et quidem quod debitor non

peccet

peccet peccato usuræ, res per se clara est, neq; enim ipse lucrum ex mutui quærit cum alterius gravamine, sed ipsemet gravatur, & alteri in re sua lucrum concedit. Tota verò difficultas est, an non peccet debitor tanquam complex & consentiens peccato creditoris? Nam si debitor usuras non promitteret creditor exigere non posset, Apostolus verò *ad Rom.* 1. *c. in fine* consentientes peccato æquiparat peccatum facientibus. Nihilominus dici potest, illum consensum esse peccatum, qui non tam ex necessitate, quàm ex complacentia peccati procedit, vel qui est causa peccati in altero. At debitor promittens usuras nec habet complacentiam in peccato usurarum, vellet enim mutuum gratis accipere; nec movet creditorem ad usuras exercendas, cum is aliàs ita constitutus supponatur, ut sine usuris credere pecuniam nolit, sed necessitate magis accipiendæ pecuniæ consentit, veluti si latroni exigenti pecunias

promit-

promittat, utique per hoc non dicetur peccaminosè in peccatum latrocinii consentire.

§. II.

De specialibns quibusdam pactis an sint usuraria?

SUMMARIA.

1. *An oporteat interesse in pactum deducere?*
2. *Propter periculum aliquando potest aliquid exigi ultra sortem.*
3. *Explicatur* c. naviganti de usuris.
4. Montes pietatis *an usurarii?*
5. *Disputatio de pacto antichrysios.*
6. *Pactum de retrovendendo an licitum.*
7. *Olla fortunæ excusatur ab usura & ab iniquitate, non tamen expedit Reipub.*
8. *Venditor ob dilatam solutionem an possit pretium augere.*
9. *Sine licitum emere chyrographa debitorum pro minori pecunia?*
10. *Examinatur prolixè contractus* censualis
11. *In specie de censu personali, & qualiter differat à mutuo.*
12. *De cambio, & eius lucro.*

1 QUæritur primò an interesse lucri cessantis, vel damni emergentis possit à creditore statim tempore

pore dati mutui in pactum deduci? Respondeo affirmativè, nam quod justè possum exigere, possum etiam in pactum & obligationem expressam deducere. Imò si creditor ab initio hoc interesse in pactum non deduxerit, ex post facto non poterit id aliter ab invito debitore petere, quam si debitor *in mora* fuerit, hoc est, si interpellatus à creditore (qui voluit alibi honestum lucrum quærere, vel damnum emergens præcavere) non solverit. aliàs enim debitor rectè excipiet, si sciviſſet, tanti creditoris ob mutuatam pecuniam interesse, se vel pecuniam ab ipso non fuisse mutuam accepturum, vel certè interpellatum fuisse illicò solutorum. si tamen mutuum ad certum tempus contractum sit, tunc elapso illo tempore si debitor non solverit hoc ipso & sine alia interpellatione constituitur in mora, nam dies interpellat pro homine *Laym. dicto loco n.* 10. *Navar. in manuali c.* 17. *sub n.* 211.

Quæ-

Quæritur 2. an, & quando ratione *periculi amittendæ sortis*, seu summæ capitalis mutuatæ possit aliquid exigi? Plurimi DD. tam Recentiores, quàm veteres sentiunt, res suas exponere periculo ob gratiam alterius esse pretio æstimabile, cum nemo teneatur gratis pro altero curas suscipere, & res suas jactare, proinde creditorem citra iniquitatem posse aliquid pro hoc periculo exigere, si illud subeat mutuando debitori, & debitor vel non velit, vel non possit dare pignora, aut fidejussores in securitatem debiti. *Less. libro 2. c. 20. dubio 13. Covar. Arrag. Maior. & alii apud Salas tract. de usur. c. 22. n. 33.* eiusdemque sententiæ dicitur esse *D. Thom. opus. de usur. c.* 10 Qua ratione etiam sustineri posset talis contractus, si quis alicui det centum florenos eo pacto, ut si sacerdos factus fuerit, & beneficium obtinuerit restituat centum & decem florenos, sin minus, nihil teneatur restituere. Item si quis mercatori trans mare eun-

ti mutuet centum ea lege, ut si salvus redierit, reddat 120. si verò navis perierit, ipse vel eius heredes nihil reddere obligati sint. dummodo in his & similibus casibus verum & probabile periculum sit amittendæ sortis mutuatæ, quodque periculum judicio prudentum virorum tanti valeat, quanti id æstimat mutuator, & pro eo ultra sortem petit.

Verùm contra hanc doctrinam 3
pugnat expressus textus *in c. naviganti h. t.* ubi dicit Pontifex, *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem usurarius est censendus.* Diversi diversas excogitarunt huius *cap.* interpretationes, ex quibus duæ mihi videntur præferendæ. Prima est, quod in hoc textu omissa sit particula, non, & legendum: *usurarius non est censendus.* quod valdè arguunt verba sequentia, dum ibidem statim subjungitur; *illeque, qui dat 10. solidos, ut alio tem-*

pore

pore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ redduantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore sint valitura, veri similiter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. ecce hic in primis Pontifex per illam particulam collectivam, *ille quoque*, videtur inter hunc & priorem casum paritatem facere, alias enim posuisset particulam aliquam adversativam v. g. *ille verò* aut *ille è contra*. denide in posteriori casu propter periculum minuendi valoris earum rerum quas mutuator loco pecuniæ stipulatus est sibi dari, excusatur ab usura, ergo etiam & multò magis periculum amittendi totius capitalis ab usura excusabit, ubi enim eadem est ratio, eadem est juris dispositio.

Si verò alicui magis placeat servare verba pro ut vulgariter in Corpore Iuris ponuntur, is dicere potest, secundo, textum *in dicto c. navigant*, accipiendum esse de eo, qui ut possit aliqtid ultra sortem lucrari, non vult

vult aliter mutuare quam ſub tali pacto recepti in ſe periculi, hic propterea uſurarius ſaltem mentalis eſt, quod cogat mutuatarium pecuniæ indigum tale pactum ſecum inire, qui fortaſſis mallet ipſe periculum (quod ſperat non adeo magnum futurum) ſubire, ne teneatur aliquid ultra ſortem ſolvere. Ita hanc interpretationem ex Syl. Medina & aliis adfert Leſ. *dicto c.* 20. *n.* 116.

Quæritur 3. quid ſint *montes pietatis*, & qua ratione ab uſura defendantur? R. *montes pietatis* in Italia & aliis etiam locis eſſe uſitatos, & dicti æraria publicè conſtituta, ut ad ea indigentes quaſi ad montem refugium habeant, ne magis ab aliis uſurariis opprimantur. Nam ex his erariis ſive *montibus* datur mutuum indigentibus ea lege, ut pro mutuo pignus relinquere cogantur, & intra certum tempus recepto pignore pecuniam mutuatam reſtituere, ac inſuper exiguum aliquid adiicere: ſin autem intra tempus præfinitum de- 4

bitum solutum non sit, pignus vendi possit, ut detracta sorte, exiguoque illo adjecto residuum de æstimatione pignoris debitori restituatur.

Porrò quia ut dictum debitor ex his *montibus* accipiens mutuum tenetur præter sortem etiam aliquid saltem modicum adiicere, olim valde dubitabatur, an hoc institutum *montium* non esset usurarium censendum? sed Leo in Concilio Lateran. *sess.* 10. unacum ipso Concilio hos *montes* tanquam pium institutum approbavit concedens indulgentias adjuvantibus & erigentibus, pro ut in *Tom.* 4. *Concil.* habetur. Item Concilium Trid. *sess.* 22. *de reformatione* c. 8. 9. & 11. inter *pia loca* etiam *montes pietatis* numerat. Ratio verò quòd isti montes usurarii non sint, ea redditur, quod in iis ultra sortem aliquid detur non tanquam lucrum ex mutuo, sed pro sumptibus necessariis ad montis conservationem pro stipendio ministrorum, qui montem administrant, & semper parati esse debent

debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, pro libris rationum cæterisque necessariis.

Quæritur IV. quid sit pactum *antichryseos*, & an citra usuram fieri possit? ℟. antichrysim esse pactum inter creditorem & debitorem, ut creditor tam diu pignore uti, & fructus ejus lucrari possit, usque dum sibi pecunia mutuo data à debitore restituatur. *antichrysis* enim græcè significat *contrarium* sive *mutuum usum* rei scilicet in pignus concessæ pro usu pecuniæ mutuo datæ, *textus & GD. in l. si pecuniam 33. ff. de pignoratitia act. & l. si is qui 11. §. 1. ff. de pignoribus.* de hoc igitur pacto magna est controversia, an sit usurarium censendum? Enim verò pro negativa (quam sustinet Alciatus *libro 2. disp. c. 3.* & alii apud Minsyngerum *cent. 6. obser. 71.* & And. Gaill. *lib. 2. obseru 3.*) militant aliquot argumenta, primò, quòd pactum *antichryseos* dissertè approbetur *in dicta l. si pecuniam & l. si is qui.* item *in l. si ea*

17. *C.* de *usuris.* secundo *in c.* 1. *x. de feudis* dicitur, dominum lucrari fructus ex re feudali sibi à vasallo oppignorata. Tertio *in c. salubriter* 16. *h. t.* decidit Pontifex, quòd maritus pro dote uxoris sibi debita accipiens à socero pignus lucretur fructus hujus pignoris, & non teneatur, ob fructus interim ex pignore perceptos minorem dotem acceptare. Quarto nihil videtur continere iniquitatis, si creditor ex fructibus pignoris lucrum faciat propter culturam & curam, quam in illis serendis & colligendis impendit *arg.* §. *si quis à non domino* 35. *Inst. de rerum divisione.* ubi dicitur, bonæ fidei possessorem ex re aliena lucrari fructus saltem consumptos propter culturam & curam, quam rei alienæ adhibuit. Quinto denique, si creditor emeret pignus pro ea summa, quam mutuatore uult, cum pacto, ut pro eodem pretio liceret debitori quandocunque placuerit redimere, validum esset pactum, & creditor haberet rem, ex eâ

qu

que fructus perciperet, usque dum sibi à debitore pretium redderetur *l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit.* ergò si hoc licet creditori per pactum emptionis, licebit etiam per pactum *antichrisios*; vel enim utrumque est justum, vel neutrum, cum utriusque idem sit effectus, neque unâ viâ debeat permitti, quod aliâ prohibetur juxta regulam 84. *juris in 6.*

Verùm contraria sententia & quod pactum *antichryseos* regulariter usurarium reputetur, apud Theol. tum D. Thom. Caiet. Soto, & aliis, ac Iuris Canonici interpretes hactenus prævaluit teste Hen. Cani. *de usuris. c. 5. n. 15.* Paulo Lay. *dicto c. 16. n. 17.* quibus adstipulatur Pastor. *in c. 1. n. 2. h. t.* & *Covar. var. resolut. l. 3. c. 1. n. 3.* fundamentum est in c. 1. & 2. h. t. ubi apertè decernitur, fructus pignoris sine usura non cedere lucro creditoris, sed imputandos esse in exonerationem sortis, quatenus deinde minor sors, seu minus capitale restituatur, quo plures fru-

ctus ex pignore percepti sunt. Etenim ut præcedenti §. dictum usura est, quidquid ex mutuo pretio æstimabile per pactum creditor lucratur, sed hic per pactum *antichrysios* mutuo accedens lucratur fructus pignoris ergo &c. Huc etiam facit *lex.* 1. 2. & 3. *C. de pignoratitia actione* ubi clarè constituunt Imperatores, *ut fructus pignoris in sortem imputentur*. Ita tamen hæc sententia declaranda est, ut fructus non possint cedere mero lucro creditoris. Secus autem si quosdam fructus velit retinere jure compensationis, scilicet ratione *lucri cessantis, damni emergentis, suscepti periculi, vel expensarum in custodiendum pignus, vel colligendos fructus* factarum, non enim dicuntur fructus nisi deductis expensis *l. fructus. 7. ff. soluto matrimonio.*

Ad argumenta superius in contrarium allata responderi potest, & quidem ad primum *l. si pecuniam. cum aljis citatis*, nihil relevare, eo quòd leges Civiles permittentes usuras, ac usurarios contractus abrogentur per SS. Canones *Clem. unica h. t.* Ad

Ad *ſecundum* dicitur, ſpeciale eſſe in feudo, ut dominus ex eo ſibi à vaſallo oppignorato fructus lucretur *per d. c. 1. x. de feudis. & c. conqueſtus h.t.* quod & idem de emphitevſi aſſerunt DD. dummodo interea vaſallo ſervitia, ſi quæ ex feudo præſtare debeat, &emphitevtæ canon remittatur. Rationem verò ſpecialitatis aſſignat Hoſtienſis & Panor. *in d. c.* 1. quod hæc ſit natura feudi, & emphiteuſis, quam habet ex prima ſui inſtitutione, conventione, vel conſuetudine. cum enim in feudo & emphiteuſi *directum* dominium maneat penes dominum, & tantum *utile* tranſeat in vaſallum, & emphitevtam, per oppignorationem verò res tota revertatur ad dominum, videtur convenientius, ut ea potius ipſi domino, quàm alteri fructificet.

Tertium ſimiliter ſingulare eſt, quòd maritus ex re pro dote uxoris oppignorata fructus lucretur, idque ob compenſationem *lucri ceſſantis*; quam ſi dotem ipſam haberet, ex ea

fructus omnes lucraretur propter onera matrimonii, quæ subire debet, *l. dotis fructum 7. ff. de jure dotium*, ergo cum istud justum lucrum fructuum dotalium ob dotem non solutam marito absit, meritò compensationem facit ex fructibus rei pro dote debita oppignoratæ, prout idem facere posset creditor quilibet in pignore, si sua interesset ratione *lucri cessantis* vel *damni emergentis*, ut dictum.

Ad *quartum* respondet Henr. Canis. *de usuris. c. 5. n. 25.* quod sibi imputare debeat creditor, qui *culturam & curam* ex contractu illicito in rem alienam impendit, ut propterea idem creditor non *bonæ fidei*, sed *malæ fidei* possessori sit potius comparandus, qui ob culturam & curam nullos prorsus fructus lucratur, sed universos restituere tenetur *l. certum 22. C. de rei vindicatione.* & licet fortè creditor fuerit in errore juris putans, fructus pignoris posse ex pacto suo lucro acquiri, nihil ominus sci-

endum

endum est, errorem juris non prodesse acquirere, & lucrari volentibus *l. juris 7. ff. de juris & facti ignorantia.*

Ad *Quintum* dicendum est, inter emptionem pignoris cum pacto redimendi, & inter pactum *antichrysios* magnam esse differentiam. Nam si creditor pignus emerit, deponitur qualitas *creditoris, mutui & pignoris,* & emptor efficitur *Dominus*, & fructus lucratur jure *dominii* ex re sua. Et deinde re empta casu fortuito v. g. incendio pereunte non potest amplius repetere pretium, quia res perit suo domino *toto t. ff. de periculo & commodo rei venditæ.* quæ omnia se aliter habent in pacto *antichrysios*, ubi creditor non efficitur dominus pignoris, & consequenter fructus percipit ex re aliena, atque pignore sine sua culpa pereunte nihilominus pecuniam mutuatam repetere potest. Interim licet emptio cum pacto redimendi ordinario jure permissa sit *d. l. 2. C. de pact. inter empt. & ven-*

ditor. & etiam *antichrysis* hoc pacto, sicut & aliis titulis, ex quibus justè aliquid ultra sortem exigitur, cohonestari possit teste Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 17.* id tamen procedit, si omnia bona fide agantur, si nimirum res justo pretio vendatur: & creditor non sit solitus usuras exercere cogens debitorem pecuniæ indigum ad talem contractum aliàs non mutuaturus. nam ex modicitate pretii, consuetudine fœnerandi, & si rem intra certos annos non licuerit venditori redimere, aliquando emptionem cum pacto redimendi censeri contractum *usurarium*, & præsumi tantùm fictam emptionem, in effectu autem esse mutuum cum lucro ex pignore textus sunt *in c. ad nostram de empt. & vendit. c. 4. de pignoribus. l. 3. C. plus valere quod agitur &c.* & videri poterit Fachin. *l. 2. controv. c. 12.*

Similiter, si quis contenderet, antichrysin posse reduci ad aliquem contractum *innominatum*, *do ut des*,

facio

facio ut facias &c. concedo tibi usum mei prædii, ut mihi concedas usum tuæ pecuniæ &c. id fortassis transiret, si nihil in fraudem usurarum attentaretur, & contractus *innominatus*, qui certam legem non habet, sed totus ex conventione & *præscriptis* partium *verbis* dependet & regulatur, *L. 3. & seqq. ff de præscript. verb.* ita clausuletur, ut neutri parti gravis sit, & notabiliter, præsertim ratione periculi interitus, à mutuo differat, possunt enim contractus innominati naturam nominatorum assumere *L. 5. ff. de præscr. verb.*

7 Quæritur V. utrum *olla fortunæ* passim in Germania usitata contineat usuram vel iniquitatem, si E. g. aliquis pro sex crucigeris extrahat schedam signatam, & is qui præest ollæ, debeat ipsi dare rem valentem centum flor. è contra, si alius impoat 30. flor. & pro illis meras schedas vacuas recipiat?

Respondeo, ollam fortunæ satis probabiliter ab *usura*, & *iniquitate*

defendi posse, ab *usura* quidem, quia non intervenit contractus *mutui*, in quo solo propriè committi usuram superius in §. 1. diximus. etenim hæc olla fortunæ non immeritò ad contractum emptionis & venditionis revocari potest, in quo pecunia pro pretio, & spes rei accipiendæ pro merce sit. pro ut *in l. nec emptio 8. §. aliquando ff. de contrahenda emptione aliquando*, inquit Iuris Consultus, *sine re emptio intelligitur, veluti cum quasi alea* (id est casus, fortuna, vel eventus dubius) *emitur, cum captus piscium, avium vel missilium emitur, etenim emptio contrahitur, & si nihil inciderit, quia spei emptio est.* & hinc qui v. g. à piscatore vel aucupe pro imperiali emerit, quod media die capturus est, tenetur solvere pretium, & si nihil captum sit, & è converso piscator & auceps tenetur tradere, quod cepit, & si longè pluris æstimetur. *Ab iniquitate* quoque defendi potest *olla fortunæ* dummodo de cætero fraudes in signatione, impositione

tione vel extractione schedarum non committantur: quia in ea pretium non metimur secundùm valorem rei extractæ, sed juxta spem & incertitudinem lucri vel damni. Verùm licet *olla fortunæ* in se & cæteris paribus nec *usuraria* nec *iniqua* sit, quia tamen non longè abest *à lusu aleārum*, qui prohibetur *in toto tit. de aleatoribus*. & multæ circa eam fraudes committi possunt, atque curiosi pecunias prodigunt, illi verò, qui erigunt ollam, pecunias extra civitatem & Provinciam avehunt, ideo à prudentibus Magistratibus non semper tales ollæ tolerantur.

Quæritur 6. Utrum usuram committat, qui rem carius vendit propterea, quòd pretium non statim numeretur, sed eius solutio in aliud longius tempus differatur? R. cum Panor. & aliis *in c. in civitate 6 h. t.* talem contractum in foro quidem externo rarius censeri nomine *usurarum*, cum non sit formale mutuum, in quo solo propriè usura committitur, 8

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur, in foro tamen interno sæpius esse *usuram*, eo quod hæc venditio saltem in effectu & implicitè contineat in se mutuum, & venditor censeatur *brevi manu* pretium emptori usque in tempus solutioni destinatum sub usuris credidisse & mutuasse. sicut tamen aliàs in mutuo propter *lucrum cessans* vel *damnum emergens* potest aliquid ultra sortem accipi, ita etiam in hoc venditionis contractu poterit venditor rem pluris æstimare, si sua interfit pretium non statim persolvi. Et præterea si dubium sit, an res vendita tempore solutionis sit plus vel minus valitura, & venditor non fuisset eam prius venditurus nisi in singularem gratiam emptori, propter istud dubium etiam venditor ab usura excusatur in dicto *cap. 6. & c. ultimo vers. ille quoque h. t.*

9 Quæritur 7. An usurarius, vel illicitus sit contractus, si quis alienum debitum, nomen, seu Chyrographum emat, aut sibi cedi faciat pro mino-

minore quantitate, quàm in se continеat, v. g. si pro debito 1000. flor. numeret 600.?

R. Imprimis satis tum jure, tum usu receptum esse, credita, seu (ut Juris periti appellant) *Nomina* & Chyrographa tanquam mercem idoneam posse in contractum emptionis deduci etiam invito debitore. *l. nominis 3. C. de hereditate vel actione vendita. L. 1. C. de novat.* dummodo sint debita *liquida*, nam alienas lites & debita illiquida seu controversa & litigiosa emere severè in jure prohibitum est *tex. & interpp. in l. per diversas, & l. ab Anastasio C. mandati t. t. C. de Litigiosis. Pan ad c. fin. x. de alien. judic. mut. caus. facta. Vvesenb. ad tit ff. de hered vel act. vend.* Et quidem si in eiusmodi debitis ambigua (de facto, non de jure) aut difficilis sit executio solutionis, ita ut pecunia sine molestiis, vel sumptibus debitore acquiri non possit, vel si in favorem venditoris expositum periculum potuisset emptor aliorsum

cum

cum maiori lucro applicare, & sic *lucrum cessans*, vel *damnum emergens* cum tali emptione concurrat, omnes consentiunt, quòd debitum arbitrio boni viri consideratis omnibus circumstantiis posit etiam longè minoris emi, quàm in se contineat.

Verùm si debitum facilè obtineri possit, nec propter pretium aliquid *interssit* emptoris, non est una omnium sententia, an tale debitum minoris emere liceat? R. esse distinquendum, an facilitas solutionis proveniat ex qualitate ipsius debiti, ut quia debitor semper paratus est illud solvere; vel an tantùm ex qualitate emptoris, ut quia is ex speciali Principis gratia, vel alio singulari medio solutionem obtinere potest, quæ aliàs ægrè obtineretur.

Primum casum magis speculativum, quam practicum censet Card. Lugo *de I. & I. tom. 2. disp. 26. sect. 7. §. 1. n. 96.* quòd vix contingat debitum emi sine omni difficultate exactionis, periculo, & interesse, si tamen

tamen contingeret, ut v. g. creditor pecuniæ indigus ob repentinum discessum, vel aliud repentinum accidens mox à debitore habere non posset, ideoque alteri pro parata pecunia suum creditum liquidissimum venderet, ipse putarem tutius fore in conscientiâ, non licere tale debitum minoris emere, sicut cum Medina, Sylv. & aliis docet Lessius *de I. & I. lib. 2. c. 21. n. 71.* nam inter mercem & pretium debet esse æqualitas, non est autem æqualitas si v. g. pro 100. dentur 90. & aliàs multæ usuræ palliari possent, si usurarius diceret, se nolle mutuare, velle autem ab illo, qui mutuum petit emere chyrographum 100. flor. pro 90. & sic in effectu nihilominus 10. pro 100. lucraretur. Non est tamen omninò erroris damnanda altera sententia, quæ concedit aliquanto modicè minus pretium dari: quòd communi hominum æstimatione minus valere censeatur pecunia futura, quàm præ-

præsens, sicut minus est, actionem habere, quam rem *L. minus* 250. *ff. de R. I.* neque emptio sine omni prorsus commodo celebrari soleat. *Innoc. & Pan. in c. in civitate de usur. Nav. in man. c.* 17. *n.* 230.

In secundo casu, quando facilitas solutionis per accidens provenit ex persona emptoris, existimat Less. *d. l. n.* 76. & Molina *de I. & I. tract.* 2. *disp.* 361. posse debitum emi citra injustitiam secundum illam æstimationem, quam considerata difficultate solutionis communiter apud alios & in foro habet, illud enim iustum rei pretium censetur, quo communiter apud homines æstimatur, sicut in simili, qui gemmam sine omni suo labore & sumptu inventam aut donatam accepit, potest absque injustitia eam tanti vendere, quanti communiter solet vendi ab iis, qui similes gemas magnis sumptibus conquirunt. fatetur tamen Lessius sæpe peccare tales emptores saltem contra charitatem (quod etiam grave pec-

catum

catum eſt, quamvis ordinariè ad restitutionem non obliget) ſi miſeris & indigentibus hominibus non maius pretium perſolvant, cum ipſi nonnunquam ingens lucrum reportent. Item Officiales Principum, qui ſe in ſolutionibus debitorum difficiles exhibent, & ita indirectè cogunt creditores ad ſua debita vili pretio vendenda, quæ ipſi coemunt, haud dubiè graviter contra juſtitiam peccant, & ad reſtitutionem obligantur *Leſſ. d. l.* ſi enim poſſunt ſibi ſolvere, poterunt utique & aliis, quibus ex juſtitia debetur. & ſi creditores velint ultrò propter publicam neceſsitatem aliquid remittere, profectò juſtius eſt, illa portio remiſſa accreſcat ærario Principis pro publico bono, ne ſubditi gravioribus contributionibus onerentur.

Quid ergo, ſi creditor velit ſuum creditum minoris vendere, poterit ab ipſo debitore, ſive is princeps ſive alius, minori pretio emi? ſi debitor ipſe ſit cauſa difficilis ſolu-

solutionis, utique sine iniquitate & onere restitutionis emere minoris non poterit, secùs verò, si propter inopiam aut alium casum totum solvere nequeat, tunc enim non apparet, cur debeat esse deterioris conditionis, quàm quilibet alius extraneus. *Nav. d. l. Less. d. l. n.* 70.

Advertendum tamen, si in præmissis casibus, & juxta dicta aliquid contra Charitatem vel justitiam peccetur, hoc peccatum non statim esse reducendum ad usuras, & usurarum pœnas, quia in *emptione*, & non in *mutuo* comittitur per tradita superius §. 1. n. 2. nisi in fraudem usurarum mutuum tali aliquo contractu pallietur.

10 Quæritur 8. quid sit *contractus censualis*, an & quando *usurarius* judicandus? *Census* veteri Jure Romano à *censendo* seu æstimando dicebatur æstimatio patrimonii subditorum, unde tributum Cæsari vel Magistratui solvere tenebantur *l. formaria ff. de censibus l.* 2. & 3. *C. eodem.* sed

& ipsum

& ipsum quoque tributum *census* vocabatur juxta illud *Matth. 22. licet nec censum dare Cæsari &c.* De jure vero Canonico & ad propositum *census*, vel *contractus censualis* est jus perceptionem aut similem contractum acquisitum reditus annuos ex re, vel industriâ alienâ provenientes percipiendi. Dico, ex *re* vel *industria*. Nam *census* dividitur in *realem & personalem*. *Realis census* est, qui fundatur super certa re una vel pluribus, e.g. si à Titio emam jus percipiendi illos reditus, quos ipse annuatim ex domo vel prædiis suis percipit. quare hic census cum realis sit, & rei inhærens comitatur rem ad quemcunque possessorem deveniat, sicut servitus vel aliud onus reale.

Personalis census est, qui fundatur super certa persona, quæ se obligat ad annuam pensionem, non tam respectu certæ rei, quàm potius respectu lucri acquisiti ex propria industria, puta si illa persona exerceat negotiationem, opificium aut artificium;

um; nisi quod subinde ad debiti se-curitatem certus fundus hypothecæ subiiciatur, non tamen cum jure, ex illo fundo fructus percipiendi.

Uterque census tam *realis* quàm *personalis* plerúmque solet habere pactum *redimendi*, ut scilicet ille, qui censum ex re vel industria sua vendidit, possit hunc censum rursus redimere, si emptori pretium pro venditione census acceptum denuò restituat. Imò frequenter census ex *utraque parte redimibilis* constituitur, ita ut non tantùm venditor possit restituto pretio censum redimere, & se vel res suas ab hoc onere liberare, sed etiam ipse emptor possit venditori rursus jus suum cedere, ab eoque pretium pro censibus datum repetere.

Verum quia talis contractus censualis prima fronte nihil videtur differre à mutuo sub usuris contracto quia & in mutuo debitor mutuum acceptum pro libitu restituere, & creditor illud repetere potest, interim usuræ annuæ & pensiones ex mu-

tuo præstandæ sunt, ideo inspiciendum est, utrùm tales contractus censuales sine peccato usuræ sustineri valeant? Respondeo itaque *primò*, censum *realem* ex parte solius venditoris redimibilem esse contractum licitum & non usurarium, per expressam declarationem Pontificiam *in Extravag. 1. & 2. de empt. & vend. inter com.* dummodo census eo pretio ematur, quod consuetudo loci vel Magistratus justum decrevit, pro ut consuetudine Germaniæ receptum, ut 5. floreni annui reditus emantur pro centum florenis.

Est etiam inter hunc *contractum censualem* & inter *mutuum* notabilis differentia, quæ ex communi DD. sententia apertè colligitur in citatis Extravagantibus: nam in *mutuo* bonis & facultatibus debitoris casu aliquo pereuntibus nihilominus pecunia mutuata cum usuris repetitur, at verò in *contractu censuali* seu emptione census *realis* si res, ex qua reditus annuus sive census emptus est, interea,

eat, census quoque & facultas repetendi pretium interit.

Similiter si propter sterilitatem aut aliam causam res censualis non tantos fructus proferat, ut integræ pensioni sufficiant, non tenetur debitor seu venditor census totum censum solvere, nisi antecedentium aut subsequentium annorum fertilitas talem sterilitatem compenset. Cuius ratio est, quòd hic contractus emptionis sit, emptione autem perfecta periculum in re empta contingens ad emptorem pertineat *toto t. ff. de periculo & commodo rei venditæ.*

Non etiam obstat, quod contra hunc contractum censualem obiici solet, nimirum esse contra naturam pecuniæ & emptionis, ut una pecunia aliâ pecuniâ ematur, cum pecunia sit tantùm pretium ad alias res comparandas; item emptionem esse tantùm de re præsenti, in contractu autem censuali hic & nunc nulla res præsens sit, quæ ematur. Nam dicendum est, in contractu censuali

non emi pecuniam tanquam mercem, sed jus percipiendi pecuniam, pro ut etiam alia jura incorporalia rectè emuntur, & venduntur. Unde quia istud jus futuris temporibus percipiendi pecuniam statim tempore emptionis à venditore census conteditur emptori, ideo hoc respectu satis res empta præsens dici potest. Veluti & fructus in agris, partus ex animalibus in futurum nascituros jure vendi probatur *ex l. nec emptio 8. ff. de contrahenda emptione.*

Quodsi census *realis* non tantùm ex parte venditoris, sed etiam emptoris, & sic *utrinque redimibilis* constituatur, adhuc tamen non improbabiliter ab usura defendi potest. contractus enim ex conventione legem accipiunt *c. contractus 85. de R. I. in 6.* illæ differentiæ inter mutuum & alem contractum paulò ante enuneratæ adhuc permanent.

Verùm quidem est, quòd ex Constitutione Caroli V. in Comitiis Augustanis facta sub titulo, *de usurariis*

contractibus, ad censum licitum requiratur, ut eius redemptio non sit in arbitrio emptoris, sed solùm venditoris, nihil ominus id intelligi potest, quòd in foro externo nonnunquam ex tali pacto usura, & *palliatum mutuum* præsumatur, quæ præsumptio non habet locum in foro interno, si omnia bona fide agantur, & periculum intereuntis rei censualis penes emptorem maneat. Præterea similes conditiones quatenus ea prohibent, quæ juri naturali non adversantur non ubique esse receptas asserit Paul. Lay, *in Theol. morali lib. 3. tract. 4. c. 18. sub. n. 6.* Attamen in loco ubi non esset consuetudo censum utrinque redimibilem constituere, tutius foret à tali contractu abstinere propter illam fori externi præsumptionem, & scandalum aliorum, ac periculum usurariæ intentionis.

11 Respondeo II. Censum quoque *personalem* præsertim à solo venditore redimibilem (probabiliter etiam utri-

utrinque redimibilem per ea quæ mox de censu reali diximus) ab usura plurimi DD. defendunt. si enim aliæ præstationes super sola personæ industria constitui possunt, prout fit in tributo Magistratui solvendo, in decimis personalibus, in contractu societatis &c. non apparet ratio, cur idem in censu *personali* fieri nequeat, cum de æquivalentibus idem sit judicium. *L. ultima ff. mandati.* Differt autem hic contractus à mutuo, 1. quòd constitui non possit, nisi cum tali persona, quæ ex sua industria lucrum facit. 2. Si ex causa persona censualis lucrum facere amplius non valeat pensiones quoque annuæ amplius non solvantur. 3. Si census ex parte solius venditoris redimibilis sit, iterum differt à mutuo, quia mutuum non tantùm debitor ponte solvere, sed etiam creditor ab avito debitore petere potest.

Imò non desunt magni nominis DD, qui censum *personalem* & *realem* constitui posse affirmant cum

pacto assecurationis, ut nimirum venditor suscipiat in se periculum interitus, & re censuali pereunte, vel lucro ex industria personæ sine culpa ejus cessante venditor non quidem annuos census persolvere, sed tamen capitale seu pretium census restituere teneatur, dummodo hæc obligatio venditoris ipsi alio modo compensetur scilicet pretium census augendo, vel, quod in effectu idem est, minorem censum exigendo. Ita namq; in aliis contractibus aperto jure concessum est, ut contra naturam contractus periculum ex speciali pacto ad alterum pertinere possit, puta in commodato ad commodatarium, in deposito ad depositarium *c. unico, de commodato l. 1. ff. depositi.* Verùm contra hunc *censum personalem*, & pactum *assecurationis* adducitur Bulla Pij V. quæ incipit; *cum onus apostolicæ servitutis*, cui tamen similis responsio aptari potest, quæ superius circa constitutionem Carolinam data est. Prolixiùs hanc materiam *de censibus*

tractat

tractat Lay. *d. L. c.* 18. & Cov. *variarum resolut. lib.* 3. *c.* 7. Henr. Caniſ. *de uſur. c.* 11. Leſſius *de I. & I. lib.* 2. *c.* 22. aliique apud eos citati.

Quæritur 8. & ultimò, quid ſit *cambium*, & quo titulo ex eo lucrum acquiri poſſit? Negotiatio iſta pecuniaria, quæ *cambium* dicitur paſſim nota & uſitata nihil eſt aliud, quám permutatio pecuniæ pro pecunia, in qua ille qui rogatur, ut pecuniam commutet, campſor, ille verò qui rogat & ad cujus gratiam pecunia commutatur *Campſarius* appellari ſolet; priſco enim vocabulo *cambire* vel *campſare* idem quod *permutare* ſignificabat, ſicut ex Priſciano refert Cov. *de collatione veterum numiſmatum c.* 7. *n.* 4. Licet verò etiam in *mutuo* pecunia pro pecuniâ detur, id tamen non fit cauſa permutationis, neque ſtatim tempore contractus in mutuo, ſicut in cambio pecunia unius datur pro pecunia alterius, ſed ſolus creditor numerat pecuniam, ut in futurum vel eandem, vel aliam eius-

dem generis, & bonitatis recipiat, cum ergo *cambium* à *mutuo* differat, consequens est, quòd lucrum ex cambio quæsitum nomine *usurarum* censeri non debeat, nec usurarum pœnis subjaceat. videamus tamen breviter, ex quibus cauſis aliquod lucrum citra iniquitatem ex *cambio* percipiatur.

Est autem præsciendum, *cambium* dividi in *manuale* sive *minutum*, & in *cambium locale*. Cambiũ *minutum* seu manuale dicitur, quando pecunia unius formæ aut materiæ permutatur cum pecuniâ alterius formæ aut materiæ v. g. crucigeri aut sesterius pro taleris, vel aureis, moneta Germanica pro Italica; Hispanica &c. dicitur *minutum*, quia plerumque minor moneta commutatur pro maiore, & *manuale*, quia statim in eodem loco & tempore de manu ad manum vicissim pecunia numeratur.

Locale cambium est, quando pecunia præsens commutatur cum pecuniâ distante in alio loco, quod cum

ordi-

ordinariè per litteras fieri ſoleat, per quas campſor mandat ſuo correſpondenti, ut campſario certam pecuniæ quantitatem, quam ipſe campſor jam hic v. g. Salisburgi accepit, numeret Romæ, ideo etiam *cambium per litteras* appellatur. Idque præcipuè ob utilitatem itinerantium inventum eſt, ne cogantur pecunias cum magno periculo & incommodo ſecum continuò deferre.

Porrò in *cambio minuto* ſi v. g. aurei pro crucigeris commutandi ſint, ſolent campſores aliquid auctuarii loco exigere, & frequenter pro quolibet aureo ſeſtertium vel groſſum. cauſas huius exactionis DD. aliquot allegant, prima eſt locatio operæ & obſequii, ſiquidem campſor debeat ſemper paratas habere diverſi generis pecunias, quemlibet ad cambium in ſuam domum introducere, inde ſe & famulos huius negotii expertos alere. quod maximè procedit circa campſores, quibus obligatio tale cambium exercendi

pro publica hominum utilitate à Magistratu imposita est. secunda causa, est *lucrum cessans* vel *damnum emergens*, ut si campsor proposuerat nummos aureos aliò deferre ubi pluris valent, & alibi merces emere, ubi aliâ monetâ longè carius emuntur &c. Tertia, puritas materiæ, quia communi hominum judicio imperialis vel ducatus purus nihil habens de cupro admixtum pluris æstimatur, quàm moneta impura. nec obstat, quod quidam opponunt, æstimationem materiæ non esse in potestate subditorum, sed Principis monetam cudentis. Nam respondetur nummos alio modo æstimari à Principe, & alio à subditis: à Principe quidem nummi *formaliter* considerantur, ut numi sunt, & quatenùs mensura rerum venalium, & solutionis debitorum: à subditis verò in cambio, & commutatione *materialiter*, & ut res sui patrimonii, quæ in se meliores vel deteriores sunt. Hinc etiam pro quarta causa assignant antiqui-

tates

tatem, raritatem, comoditatem conservandi, numerandi, vel deferendi monetam. Quinta demum esse potest, usus seu expendibilitas, ut si in aliquo loco commutentur numi, qui possunt ibi expendi cum iis, qui expendi non possunt, isti enim cum non habeant ibi pretium, vel valorem minoris æstimantur.

Sed & *in cambio locali* campsores aliquod lucrum facere consueverunt, ita ut si in exemplo campsarius hic Salisburgi numeraverit campsori centum imperiales, Romæ tantùm recipiat nonaginta quinque, & quinque cedant lucro campsoris.

Hoc verò lucrum dummodo usitatum in aliquo loco cambii modũ, qui communi hominum æstimatione non reputetur iniquus, non excedat communiter defendunt DD. Inprimis enim campsores pro itinerantium utilitate solent ad hoc operas suas locare, famulos & scribas alere, libros rationum tenere, aliosque sumptus facere. Deinde campsor virtua-

liter

liter saltem transfert pecuniam de loco ad locum, & liberat campsarium ab onere, sumptibus, ac periculis, quæ ipse in transferenda pecunia subire deberet, quod obsequium meritò pretio æstimabile censetur. Plura de cambiis videri poterunt apud Less. *de I. & I. libro 2. c. 23.* ubi difficultates pleraſque circa cambia satis exactè pertractat.

§. III.

De restitutione & pœnis Usurarum.

Summaria.

1. *Obligatio restitutionis incumbit usurariis etiam mentalibus.*
2. *Cur & an non idem in Simonia mentali.*
3. *Iure Can. etiam heredes tenentur restituere.*
4. *Excusatio à restitutione.*
5. *Res empta ex pecunia usuraria, non est restitutioni obnoxia nisi deficientibus aliis mediis.*
6. *Contra tertium possessorem non datur actio.*
7. *Aliæ pœnæ usurariorum.*
8. *Parochi sine judicio ordinarii non debent aliquem usurarium condemnare.*

9. Ob-

9. *Oblationes quando recipiendæ ab usurariis.*
10. *Ad sepulturam non recipiuntur nisi præstita satisfactione, vel cautione.*
11. *Nec testamenta eorum valent.*
12. *Iurium imperiti, qui juxta communem modum sub nomine mutui accipiunt aliquid ultra sortem, qualiter frequenter ab usura excusari possint.*

Sicut quilibet iniquus rei alienæ detentor ad restitutionem tenetur, nec absolvitur peccatum, nisi restituatur ablatum c. *peccatum de R. I. in 6.* ita etiam usurarii ante omnia cogendi sunt ad restitutionem eorum, quæ per usuras contra jus naturale, divinum & humanum acquiverunt. Et cum usura rapinæ instar sit. c. *si quis usuram* 14. q. 4. ideò usurarii in utroque foro tam interno quàm externo ad restitutionem adigi debent. In foro tamen externo non aliter quis ad restitutionem cæterasque usurariorum pœnas condemnandus est, quàm si fuerit usurarius manifestus, scilicet per rei evictiam, confessionem judicialem, 1

aliasve legitimas probationes convictus; Ecclesia enim & alii judices externi non judicant de occultis, ne quandoque innocentes pro nocentibus puniantur *c. cum tu 5. h. t. l. ultima C. de probationibus.* In foro autem interno nulla opus est probatione, sed sua quemque conscientia arguit. Hinc etiam non tantùm realis usura, quæ aperto usurario pacto commissa est, sed & sola *mentalis* in conscientiæ foro ad restitutionem obligat. per textum & DD. in *c. consuluit* 10. *h. t.* dicitur autem *mentalis* usura, quando creditor non fuisset aliter pecuniam daturus indigo debitori, nisi ipse debitor vicissim vel sine omni pacto externo, vel ex pacto aliquo simulato, & quo ad externam speciem non usurario, lucrum creditori concessisset. Exempla desumi possunt ex §. 1. versiculo dico quarto. & ex §. 2. q. 2. & secunda interpretatione *c. naviganti* & ex eodem §, 2. q. 4. in responso ad quintum argumentum.

Verùm

Verùm hic non levis est difficultas, quare in *simonia mentali* sufficiat solâ pœnitentiâ & dolore erga Deum illud peccatum expiare sine restitutionis obligatione, ut communiter tradunt Interpretes *in c. ultimo de simonia*, & non similiter in *usura mentali*? Inter varias explicationes quas adferunt DD. illa videtur captu facilior, quam refert Barb. *in dicto cap. consuluit n.* 4. quòd in *usura mentali* injuria fiat debitori qui invitus, & necessitate coactus solvit, in *simonia* verò *mentali*, quæ sine expresso pacto fit, plerumque ille, qui pro spiritualibus aliquid temporale offert, non sit necessitate constrictus. Imò si ponatur casus, ut v. g. Clericus in necessitate constitutus non possit aliter impetrare beneficium ad sui sustentationem, quàm si liberalem oblationem faciat Episcopo, vel Patrono aliàs sibi non collaturo, tunc æque restitutionem faciendâ esse in *simonia* hac *mentali*, quàm in *usura mentali* non improbabili-

babiliter docet Dominicus Sotus *de justitia & jure libro 9. q. 8. articulo 1.* neque etiam ex textu *d. c. ult. de simonia.* qui obscurior est, & diversas interpretationes admittit contrarium evincitur.

3 Cæterùm restitùtio usurarum vel debitoribus per usuras læsis, vel heredibus eorum, aut in istorum omnium defectu pauperibus facienda est, *d. c. cum tu 5. h. t.* Ex adverso quoque non tantùm ipsi usurarii, sed etiam heredes eorum, usuras restituere tenentur. Quamvis enim de lure Civili heres non teneatur ex delicto defuncti, nisi quatenus ex illo delicto ad heredem pervenit, & inde locupletior factus est, vel si lis cum defuncto contestata fuerit, ut tunc non tam ex delicto, quàm ex quasi contractu litis contestatæ conveniatur, *L. unica C. ex delicto defuncti, quemadmodum heres teneatur &c.* De jure tamen Canonico heres ad exonerationem conscientiæ defuncti tenetur pro viribus hereditariis omnibus

nibus illis satisfacere, quibus defunctus damnum intulit, licet ex illo damno hereditas aucta non sit *c. ult. de sepulturis. c. in litteris. de raptoribus.* Et cum hæc res salutem animæ concernat, & naturalis ratio suadeat, ut contra justitiam læsis damnum ex bonis ipsius lædentis compensetur, ideo hanc constitutionem juris Pontificij etiam in terris Imperii observandam esse non attenta lege civili, rectè docet Henricus Canis. *de usuris l. 7. sub. n. 4.*

Ab hac tamen restitutione excu- 4
sat notoria paupertas usurarij, vel heredum ejus, usque dum ad pinguiorem fortunam deveniant *l. nam is nullum ff. de dolo. & d. c. 5. h. t.* Item si debitor ipsemet solitus sit usuras exercere, non audietur contra suum creditorem restitutionem usurarum petens, nisi & ipse prius aliis, cum quibus usuras exercuit, restitutionem fecerit, nam frustra legis auxilium implorat, qui in legem peccavit. *c. q. a. Extra h. t.*

Sed

5 Sed quid, si creditor ex pecunia usuraria domos vel prædia emerit, anne hæc tanquam sua debitor vel heres ejus petere poterit sicut potuisset ipsam pecuniam usurariam ff. de jure rem non succedere in locum pecuniæ, propterea qui ex aliena pecunia etiam inscio vel invito domino rem aliquâ emit, sibi acquirit hujus rei dominium, non alteri, cujus pecuniæ fuerunt, nisi quòd ei aliam pecuniam reddere teneatur; per textum expressum *in l. qui aliena 8. C. si quis alteri vel sibi &c. & lege si ex ea. 6. C. de rei vindicatione.* Si tamen creditor non habeat alia media satisfaciendi debitori propter usuras, tunc cogetur talia bona vel in solutum dare, vel vendere, & de pretio usuras malè acceptas compensare *d. c. 5. h. t.*

6 Quòd si talia bona jam in tertium alienata sint, contra hunc tertium possessorem probabilius debitori nulla actio competit: non *personalis*, quia cum eo nihil contractum fuit;

Nec

nec etiam *realis hypothecaria* quia non habemus legem, quæ hypothecam in tali casu concedat, nisi fortassis debitor cum quo usura exercita, pupillus aut minorennis fuerit, qui aliàs in re ex pecunia sua comparata tacitam hypothecā habet. *l. idemque 7. ff. qui potiores in pignore*: vel Ecclesia, quæ jure minoris utitur *c. 1. de in integrum restit.* vel nisi alienatio in tertium facta sit in fraudem debitoris, cum creditor usurarius sciret se aliunde debitori per usuras læso satisfacere non posse, tunc enim res alienata revocabitur secundū ea quæ traduntur in toto *t. ff. quæ in fraudem creditorum. Cov. variarum resolut. libro 3. c. 3. sub n. 6.*

7 Præter obligationem restitutionis aliæ quoque pœnæ in usurarios constitutæ sunt, ut primò infamia juris *l. improbum fœnus C. ex quib. caus. infam. irrogetur.*

Secundò privatio officii, & depositio in Clerico usurario *c. 1. & seq. 14. q. 4.* poterit tamen Episcopus

post

post restitutionem & peractam pœnitentiam cum tali Clerico dispensare. c. *at si Clerici* §. *de adulteriis de judiciis. Gl. in c. præterea v. suspendas h. t.*

8 Tertio Laicos usurarios Episcopus excommunicare potest, & prohibere, ne eorum oblationes tanquam malè quæsitæ in Ecclesiis recipiantur, sub pœna ut Ecclesiastici tales oblationes recipientes ab officio suspendantur, & ad restitutionem acceptorum teneantur *c. 3. & c. præterea h. t.* quod tamen intelligendum est, si aliquis usurarius manifestus sit, aut tanquam usurarius in judicio convincatur, & si appareant illi, quibus per usuras damnum datum est, aliàs in dubio absque declaratione Episcopi à privatis Parochis nemo tanquam usurarius facile proclandus est, criminalia enim, quæ altioris indaginis sunt, & magnum præjudicium, ac pœnas juris secum trahunt, nec Parochus, nec Decanus ruralis judicare, sed ad Episcopum referre debet, *Tridentinum sess. 24. de reform. c. 20.*

Quod

Quod si etiam nulli amplius existant debitores, vel heredes eorum, à quibus usuræ extortæ sunt, tunc in horum defectu oblationes, maximè quæ in sustentationem pauperum cedunt, faciendas & recipiendas esse habetur in sæpe dicto *c. 5. h. t.* & insinuatur *Lucæ* 16. *c.* ubi Christus dicit: *facite vobis amicos de mamona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Quartò usurarii manifesti ad Ecclesiasticam sepulturam non admittuntur, antequam usuras pro modo & possibilitate facultatum suarum restituerint, aut saltem cautionem de restituendo præstiterint præsentibus illis, quibus usuræ debentur, aut ministorum absentia coram loci Ordinario, proprio Parocho, vel Notario *c. 2. h. t. in 6.* imò in articulo mortis, & casu necessitatis, quando Ordinarius loci, Parochus vel Notarius haberi non potest, quemlibet Sacerdotem, qui tunc temporis à peccatis absolvere potest, etiam idoneum

um esse ad recipiendam talem cautionem, ut eam postea referat Episcopo docet Syl. *in verbo restitutio* §. 6. q. 1. & Navar. *in Manuali* c. 13. n. 218.

11 Quinto testamenta & ultimæ voluntates usurariorum non valent, nisi ante mortem usuras restituerint, vel de restituendo idoneam cautionem dederint. *d. c. 2. h. t. in 6.*

12 Demùm hoc loco notandum est, quod homines rudes & indocti, qui ex sua pecunia lucrum, & pensiones annuas accipiunt juxta eum modum, quo alii viri honesti, & probi facere consueverunt, non sint facile de usura condemnandi, quàmvis ipsi non intelligant, quo jure vel titulo tale lucrum sibi habere liceat, cum enim lucrum ex pecunia variis ex causis cohonestari valeat, ut propter lucrum cessans, damnum emergens, implicitum pactum societatis, emptionem census &c. satis censeri possunt in bona fide, qui proborũ virorum imitantes exemplum sibi proponunt,

non

non aliter quàm justo, quo fieri potest, titulo lucrum ex pecunia quærere.

Imò licet indocti contrahendo utantur verbo mutui, vel germanicè außleichen/ nihil ominus cũ non intentio verbis, sed verba intentioni deservire debeant *c. secundò requiris. de appellationibus.* ideò ex mente istorum, qui omni meliori modo, quo de jure fieri potest, contrahere intendunt, similes contractus in effectu non tam mutuum, quàm societas implicita cum pacto assecurationis quod fieri potest si pro tali periculo assecurationis socio relinquatur damnus lucrum cum, contractus ex conventione legem accipiant) vel emptio census realis aut personalis dicari debent, præsertim quia apud Germanos ille terminus valdè generalis est, & omnem fermè concessionem significat. ita docet Lay: *lib. 3. tractatu 4. c. 18. n. 11. & 3. cum Les. Valen. & Maiore ibidem citatis.* alias enim innumeri con-

dem-

demnandi forent, non tantùm Laici, sed & Ecclesiastici, qui sub nomine & titulo außleichen ultra sortem seu capitale annuatim 5. vel 6. pro 100. exigunt, nec lucrum cessans, nec damnum emergens, nec morale periculum in erituri capitalis propter assecurationem pignoris & fidejussorum habent, & solum lucrum quærunt, *ne pecunia otiosa sit*. & sanè si iniquitatem non à verbis, sed ab effectu metimur, haud esset rationabile, indoctum, qui sub nomine *mutui* vel außleichen / accipit 5. pro 100. usurarium asserere, & doctum qui sub nomine *census* idem facit, absolvere. Meminisse tamen oportet, quod semper hactenus monui, multos contractus excusari posse, in quibus aliquid ultra sortem accipitur, si fiant cum eo, qui ex meâ pecuniâ negotiatur, & honestum lucrum quærit, ut mihi huius lucri partem tribuat, veluti in contractu societatis expresso vel implicito, in quo alter pecuniam, alter industriam con-

fert,

sert, contingit, aut si verè reditus annuos ex re vel industria habeat, quos sine damno suo vendere possit. serius autem, si contrahatur cum debitore indigente, qui tantùm ad subleyandas necessitates suas mutuam pecuniam accipit, & si reditus ex rebus vel laboribus suis provenientes vendere debeat defectum necessariæ sustentationis pati, & paulatim prorsus ad inopiam delabi cogetur, cum tali enim non est materia, vel merces, scil. lucrum aut reditus, super quibus possit fundari emptio census, vel societas. Quod si ab initio contractus habuerit ex re vel industria reditus, & hi sine culpa sua defecerint, hic defectus vel interitus ad emptorem census spectat, ut is censum exigere non possit, sicut etiam superius dictum. Caveant igitur divites, ne pro transitorio & plerumque ingratis heredibus relinquendo lucro animæ detrimentum patiantur, thesaurizent sibi potius thesauros in cælo, faciant Christianæ

Cha-

Charitatis erga indigentes officiũ & adimplere ſtudeant illam Chriſti ſententiam Luc. 6. *benefacite, mutuum date, nihil inde ſperantes.*



Caſus

Casus Matrimonialis perplexus & difficilis

DUm hunc alterum libellum Manualis Parochorum compono, proponitur mihi casus admodum rarus & intricatus, qui quidem longis abhinc annis, nimirum circa tempus Concilii Constantiensis & Basileensis contigit, potest tamen eius decisio etiam nostris temporibus inservire. & cum præ cæteris involuat illam practicam quæstionem, *an & qualiter casus Matrimonii invalidè contracti sit licitus, quando impedimentum est planè occultum, & uni tantùm parti cognitum*, nolui omittere, quin coronidis loco hic adstruerem, ita quoque potissimum ratione inciatus, quod in priori Libello, p. 3. §. 5 *pag.* 558. circa hanc quæstionem per incuriam Amanuensis mei, ne pariter non observante, in linea 21. tota linea præterita, atque conformiter textibus ibidem citatis ira agendum sit, 2. *si unus sciat impedimentum aut rationabiliter dubitet, scien-*

ens nec exigere, nec reddere; qui verò dubitat, is ex sua parte &c. quatamen de re inferius in 5. q. plura dicentur.

Rem gestam oculatus, & in facto proprio testis omni exceptione maior describit Joannes Nyder Ord. Præd. Theologus & Professor suo tempore præstantissimus *in Formicario lib. 3. c. 3.* placuit eius verba formalia ponere, quia in plerisq; verbis & circumstantiis vis aliqua & consideratio est. *Me prædicante,* inquit, *In Diœcesi Basileensi consilii gratia ad me venit fœmina secundum seculum non infimi status. Cumque fletu tanto inundaret, ut Magdalenam alteram credidisses, nisi quod ad pedes peccatoris non procidit, & ego quid haberet tristitia ab ea quærerem, tandem subjunxit. Pater ego Peccatrix parata pœnitere omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, quatuor viros habui, & quem nunc habeo non est*

meus,

meus, cum his omnibus per verba de præsenti contraxi, & ex his viventes tres hodie supersunt. Quibus auditis satis obstupui, sciens quod talibus perplexitatibus summam oportet dare operam, si enodare quis quempiam velit. Unde investigata diligenter causa, quam prius nesciveram, didici quod de omnibus viventibus difficultas aderat, nam de mortuo, si quod fuit ligamentum, illud cum vitæ termino solutum erat. Primum enim virum ex viventibus percepi anteà cum quadam contraxisse, licet clandestinè, & ita in foro conscientiæ ab eodem liberam esse. Cùm secundo clandestinè etiam contraxerat, & consummatum fuit matrimonium carnali opere, sed ipsa hoc perjurio negante coram judice ecclesiastico, divortiata est ab ipso

viro secundo. Cum tertio verò postmodum contraxit in facie ecclesiæ, cum quo jam domicilium habuit, & natos quosdam. Et quid inter hos duos consulerem, ut anima adulteræ salva fieret, anxius valde fui. Erant enim ambo viri animosi ad arma nutriti, rebus ditati, amicis vallati, ad incontinentiam proni, & juxta communem existimationem in conscientiis valde lati. Unde vidi quod quamvis jure fori femina uxor esset tertii, non tamen jure poli, sed tantùm secundi, á quo perjurio mediante ipsa diuertiata extitit. Et quodcunq; juberem, videlicet, manere cum tertio, vel redire ad secundum, aut ab utroque se secernere, in foribus semper aderat ex una parte aut verisimile homicidium, aut fœminæ adulterium, aut alterius mortalis criminis

minis periculum. Nam si jubere voluireditum ad secundum, sequebantur hæc inconvenientia verisimiliter, videlicet, primò quod zelotypia motus tertius secundum via facti invaderet, & occideret. Secundò quod fœmina cum secundo manere nequiret, quia divortii celebratio obstitit facta in judicio ecclesiæ, quamobrem omni jure humano eam tertius à secundo obtinere poterat, immo excommunicare. Tertiò, vita fœminæ sic fuisset in periculo utrinque, dum ille tanquã perjuram, veliste velut adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamiæ super facto juramento, quod perjurium esse nemo nisi ipsa, & fortassis secundus sciebat, quod propter contractum clandestinum probare contra eam non potuit, nec fœminæ crederetur verbis si sese in

hoc infamaret. Si denique ex adverso fœminam sinebam manere cum tertio, sequebantur mala animæ in ipsa deteriora, quia quotiens à viro tertio cognoscebatur, totiens adulterium commisit, non suo marito in hoc obediendo, quamquam ipse hoc exigere posset, quem perjurium putatæ uxoris latebat, non autem ipsa vice reciproca, quæ impedimentum non ignorabat. Et si suadere volebam, ut cum tertio velut soror eius casta maneret, hoc quidem ipsa paratissimo subiisset animo, sed ipse velut incontinens jure exigendi debitum nullatenus carere voluisset, prout ex multis conjecturis videre poteram. Porrò si mediam viam fœminæ consulere volui, videlicet, recessum ab utroque, tam habitatione, quam thoro, pericula multæ intuebar obviare, quia

quia si posita esset in monasterio, tunc nullæ prudentes eam ad professionem recipere debebant viro vivente invito, nec ipsa periculo fraudulentiæ se exponere debuit. Si verò extra monasterium latentiam ei consulere volui, quod plus mihi placere cœpit, ut animam saltē salvare posset, terrebat me, quod pulchra facie, & sexu fragilis vix tuta castitate maneret, vel quòd tertius zelotypia motus fugientem letaliter invaderet. Nescit enim iste famineus sexus fuga se, sicut masculinus, celare, vel tueri. Quid igitur assertivè consulerem ad præsens non habui, nisi quòd pœnitenti respondi eam consolando, ut Deum sine intermissione pro sua liberatione invocaret, eleemosynas pauperibus (quia lucrosa valde fuit) pro se, & pro tertio viro erogaret,

ret, & quid sibi consulerem deliberatior factus, & similiter alii prudentes viri, parato animo omnino susciperet. Ad quæ verba consolata aliquantisper abscessit. Interea libros consului, quibus me uvare non potui. Redii ad faminam, & ultimum modum fugæ supratactum sibi suasi. Ad quem cùm se præpararet, de quo tamen mihi periculum non modicum corporis, & sibi maius, & fortè aliis imminere poterat, affuit divina gratia quæ quæstioni difficillimæ solutionem dedit facilimam. Sibi enim incidit, ut quotiescunque vir tertius debitum exigeret, ipsa se per huiusmodi obedientiam lethalem infirmitatem contrahere fingeret, & ne id mendacium esset, ad animæ infirmitatem hoc mente tenus apud se retorqueret, ex qua infir-

infirmitate animæ, scilicet per mortale crimen, certum est secundum nostram fidem quemque nedum animæ, sed etiam corporis perpetuam mortem subire. Ita fecit ut cogitavit, & divina arridente gratia, vir prius incontinens fœminæ compati cœpit, quam in aliis veracem sæpe esse didicerat, & usque modo jam annis plurimis eam tantummodò ut sororem habet intactam, nec de adulterio viri quicquam aliunde male audivi.

SAnè hunc casum maximis difficultatibus intricatum esse nemo non videt.

Assimilemque jugi loris, quæ Gordius olim
Nexuit, atque Jovis Phrygii suspendit ad aras.

Ut autem doctrina aliqua Canonica exinde capiatur, resolvam breviter in aliquot Quæstiunculas.

I. Quo Jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

II. Matrimonium clandestinum quando fuerit validum, & quando, ac quare invalidatum?

III. An post Concilium Trid. ex matrimonio clandestino nascatur naturalis & conscientiæ obligatio?

IV. Utrum sententia Judicis in causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

V. Si quis probare nequeat, aut manifestare sine gravi damno vel periculo nullitatem matrimonii non audeat, sit tamen certus, an liceat exigere vel reddere debitum conjugale saltem ad evitandum damnum vitæ, vel famæ (quæ vitæ comparatur *arg. l. justa. ff. de manum. vind.*) vel aliud scandalum aut periculum?

VI. Quæ sit cautela ad evitandum usum matrimonii cognito impedimento.

VII. An medium, quod ista fœmina apprehendit fuerit justm & licitum?

VIII. An

VIII. An liberi ex ultimo matrimonio invalido nati fuerint legitimi?

Ad I. Quæst.

Quo jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

SUme responsionem ex priori Libello Man. *p. 3. cap. 5. §. 5. sect. 9. pag. 552. & pag. 599.* An verò Deus possit dispensare, ut una uxor pluribus viris matrimonio jungatur? negat Bellarm. *lib. 1. de matrim. c. 11.* Asserit Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 80. n. 15.* Si propè sacrilegium est, Summi Principis potestatem in dubiũ vocare *L. 3. C. de crim. sacril.* quomodo præsumat scintilla infirmissimi intellectûs humani abyssum æternæ Sapientiæ intra certos limites coarctare? qua fronte dicat creatura Omnipotentissimo Creatori, figmentum factori virtutis & potestatis infinitæ, *non potes amplius?*

Ad II. Quæst.

Matrimonium Clandestinum quando & quare invalidatum?

REspondetur, ante Concilium Trid. sessione 24. quæ fuit habita sub Pio IV. Pontif. die XI. Nov. Anno M. D. L XIII. ad substantiam Matrimonii solum consensum mutuum de præsenti absque alia solemnitate suffeciisse, ut ex *c. is qui fidem. De sponsal. c.* 1. *&* 2. *De Cland: desp.* & pluribus aliis locis satis apparet. Sed quia experientia docuit, ut ex præsenti casu abundè patet, plurimas polygamias fuisse commissas & matrimonia clandestina contra Ius fasque abnegata, ideo per Concilium Trid. *d. S.* 24. *de ref. matr. c.* 1. optimè constitutum est, ut nullum valeret matrimonium, cui *proprius Parochus & 2. vel 3. testes* non interessent. Dices, quomodo matrimonia clandestina ante Concilium Trident. valida fuisse pronunciantur, cum tamen

men repugnet expressus tex. in *c.* 1. 30. *q.* 5. ubi pridem Evaristus Papa statuisse legitur in hæc verba: *Aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fæminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, & suo tempore sacerdotaliter benedicatur &c. aliter vero præsumpta non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* Fateor, difficilis hic textus est, nec bene subsistere videtur communis interpretatio, quod *non legitimum*, idem sit quod *illicitum*, proinde matrimonium clandestinum ex hoc textu sit quidem *illicitum*, sed non *invalidum*, idque colligatur ex verbis finalibus, *nisi voluntas propria suffragaverit &c.* quomodo enim *validum* matrimonium est *potius adulterium, fornicatio &c.* quàm *legitimum conjugium*? Deinde per ipsa verba finalia

non

non parum intricatur textus, nam vel adest *consensus mutuus*, vel non? si adest, tunc etiam sine enumeratis solennitatibus matrimonium erit *legitimum*: si abest, erit nullum, non ex defectu *solennitatum*, sed *consensus*. R. posse sustineri communem interpretationem declarando textum in hunc sensum, ut illa verba: *aliter verò præsumpta non conjugia, sed adulteria vel contubernia &c. esse non dubitate*, non tam contineant *decisionem* invaliditatis matrimonii, quàm vehementem *præsumptionem juris* contra talia matrimonia. hæc tamen *præsumptio* non est *juris & de jure* sed *juris tantùm*, cum admittat probationem in contrarium c. 1. & 2. *De Cland. desp.* & licet Pontifex dicat: *non dubitate*, attamen ista verba recte etiam de gravi *præsumptione juris* accipiuntur; quamdiu enim stat *præsumptio juris*, non est *dubitandum*, usque dum contrarium probetur, veluti *non dubitatur*, decimas ad Parochum spectare, diœcesanum esse de

jus

jurisdictione Ordinarii, quamdiu contrarium non ostenditur. Praeterea cum Pontifex *d. l.* matimonia clandestina etiam *contubernia* vocet, forsan poterit adjungi alia explicatio desumpta ex *c. is qui & c. Christiano d.* 34. ubi Christiano loco uxoris *concubina* permittitur, ad quem textum ibidem subnotatur, quòd *concubina* etiam olim dicebatur uxor ducta quidem *validè*, sed *illicitè & clandestinè*.

In casu igitur nostro, qui contigit circa Annum Domini 1430. ideoque longè ante Concil. Trid. indubitatè tenendum est, matrimonium clandestinum, quod mulier cum illo viro, à quo ob perjurium suum libera pronunciata est, contraxit, tunc temporis valuisse, & fuisse verum matrimonium.

Ad III.

Ad III. Quæst.

An post Trid. ex matrimonio clandestino saltem in conscientia nascatur obligatio?

RESp. cum Concilum Trid. contrahentes sine Parocho & testibus *ad sic contrahendū omninò inhabiles reddat, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernat*, per hanc *inhabilitationē*, & *irritationem* censetur ita efficaciter resistere contractui, ut omnem ejus & *civilem* & *naturalem* obligationem tollat per ea, quæ superius *hac eadem p. 5. c. 1. pag.* 254. dicta sunt. minimè etiam fuisset obtentus finis Concilli, nimirum evitatio periculorum ex matrimoniis clandestinis oriundorum, si obligatio, vel valor talium matrimoniorum in conscientiæ foro relictus fuisset.

Utrum autem matrimonium clandestinum hodie saltem valeat in vim sponsalium *de futuro*, ut contrahens

ab

ab initio clandestinè, postea publicas solennitates adhibere teneatur? videantur plurimi DD. in utramq; partem relati à Barb. *in collect. ad d. c. 1. Trid. S. 24. n. 130.* & diximus aliquid *in p. 3. cap. 5. §. 2. n. 10.* si fœmina, quæ aliàs juris ignorantia facilius excusatur *L. cum de in debito ff. de probat.* per contractum clandestinum decepta & defflorata vel aliàs jam propè extra spem alterius conjugii ob clandestinum hoc matrimonium & cohabitatiouem posita fuisset, affirmativa sententia magis æquitati consentanea foret. *arg. c. 1. de adult. & stup.* & per ea quæ dicta sunt *d. c. 5. §. 1. sect. 2. n. 13.*

Ad IV. Quæst.

An sententia in causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

NOn transire, etiam in primo Libello *p. 3. c. 5. §. 7. n. 11. pag.* 681. dictum est, cùm enim transitus sen-

sententiæ in *rem judicatam* fundetur potissimum in tacito consensu, & approbatione ejus, qui contra sententiam potuisset appellare, & non appellavit, ideo propriè tantùm obtinet, quando agitur circa res patrimonii nostri, quas pro nostro arbitrio possumus alienare, aut vindicare, actionem pro iis competentem remittere &c. non verò in aliis rebus, quæ in nostra dispositione non sunt, ut matrimonium, ob impedimentum dirimens invalidum, reddere validum, aut vice versa matrimonium rescindere. Licet ergò secundus maritus in proposito casu, à quo mulier mediante perjurio divortiata est, minimè appellârit, non tamen exinde mulier liberationem consecuta est.

Ad V. Quæst.

An cognita nullitate matrimonii nō manifestabili, licitum sit exigere vel reddere debitum?

QUo ad *petitionem* seu exactionem *debiti* difficultas non est, utique enim

enim ex matrimonio nullo nullum jus petendi est, & activè accedere ad personam, quæ conjunx non est, haud dubiè contra sextum Decalogi præceptum est, aliasque leges divinas, quæ omnem immunditiam, & carnalem commixtionem præter matrimonialem damnant. 1. *ad Cor.* 6. *ad Gal.* 5.

Ardua autem quæstio est, an salem ad vitanda magna damna & pericula liceat reddere debitum? Pro negativa est textus valde clarus *in c. literas de rest. spoliat.* & *in c. inquisitioni* 44. *De sent. excom.* ubi S. Pontifex refert, quòd mulier conscia nullitatis & impedimenti matrimonii ne quidem ad præceptum judicis sub censuris emanatum possit absque peccato mortali *reddere* debitum, tales enim censuræ non stringunt animam & conscientiam fœminæ, quia sunt latæ ex falsa præsumtione, (quæ locum non habet in conscientia, juxta dicta superius *p.* 5. I. *pag.* 232. *n.* 8.) cum Judex fori exter-

externi, qui de occultis non judicat, præsumpserit. fœminam frivole allegare impedimentum, cujus nullam probationem adferre potest. Ratio autem principalis est, quod concessâ in similibus circumstantiis *debiti redditione*, sequeretur, fornicationem, aut adulterium, quæ sunt intrinsecè mala, ad vitandum vitæ aut famæ periculum licere, cum tamen propter nullum metum liceat peccatum mortale admittere. *c. sacris. de his quæ vi metusve &c.* Et hanc sententiam cum Sanch. *lib.* 2 *de Matrim. disp.* 39. *n.* 5. Guttier. *de Matrim. c.* 49. *n.* 1. Barb. *in. d. c. inquisitioni. n.* 3. Gobat. *in Alphab. Matr. p.* 2. *n.* 637. docent plerique Theologiæ & Canonum Interpretes, esto, quævis scandala & damna ex denegatione debiti sequantur ut dicit Barb. *d. n.* 3. 4.

Verum teste Gobat. *d. L.* multi graves viri olim pronuntiârunt à culpa immunem, *qui reddit debitum ob metum mortis*, *alii*, *si ob mandatum Magistratus Ecclesiastici ignorantis il-*

lud

judicat, *ud impedimentum, tunc enim Iudicem*
ole alle- *Ecclesiasticum dispensare ex commissa*
nullam *bi potestate, si sit juris Ecclesiastici.* in
. Ratio pecie autem pro hac sententia affir-
concessa nativa citatur à Sanch. *d. L. n. 2.*
biti red- Magister 4 *d.* 38. *in fine.* Hugo de S.
nem, aut ictore *de Sacram. p.* II. *c.* 6. *& alii.*
ecè ma- Rationes quoque sunt 1. quòd ju-
pericu- epotest alter *petere*, hoc possum imó
ter nul- quando teneor *reddere*, (licet justi-
mortale a petitionis sit tantùm putativa ex
vi me- rore & persuasione hominum cau-
m cum ta, ut in exemplis seqq) sed con-
b. 39. *n.* inx alter in bona fide existens justè
9. *n.* 1. otest *petere*, ut omnes fatentur, ergò
3. Go- c. 2. Ex multorum sententia judex
. 637. otest occidere reũ & ipse pati mor-
& Ca- m, qui publice habetur pro nocen-
quævis licet Judex privatim sciat ejus
gatione nocentiam *Cov. var. res. lib.* I. *c.* I.
d. n. 3. 4. cum tamen occidere innocen-
. multùm intrinsecè malum sit. 3. Simili-
t à cul- quamvis dare SS. Eucharistiam
itum ob digno sacrilegium sit, potest tamen
ndatum rochus, si privatim solùm sciat in-
nnis il- gnum, unde à fortiori, si Parochus
lud

habet

habet jus dandi SS. Eucharistiam iniquè petenti ad conservandam famam eius, cur non etiam mulier ad conservandam vitam & famam propriam potest dare debitum marito non iniquè petenti ? 4. Ratio prioris sententiæ videtur niti falso supposito, quod *redditio debiti* quæ fit in figura Matrimonii publica opinione validi ac ei qui *juste petit*, sit formale adulterium, fornicatio aut peccatum, tunc enim dici non potest, mulierem reddendo cooperari peccato, quando *petendo* peccatum non committitur. 5. Confessarius qui novit aliquos habere impedimentum dirimens, quod ipsi invincibiliter ignorant, non tantùm non tenetur eos impedimenti admonere, si exinde sequeretur scandalum vel perplexitas, sed insuper si alteruter ex putativis conjugibus ex alia causa renuat *reddere debitum*, potest & debet positivè imperare, ut debitum reddatur, sicut docet Sanch. *d. l. 2. disp. 38. pars. n. 8.* si ergo licet in uno casu scien-

Ubi

ter permittere, imo & imperare co-
pulam inter non legitimos conjuges,
quare non in altero. Potest enim
etiam Conjunx conscia nullitatis
matrimonii in bonâ fide esse in ordi-
ne ad reddendum debitum, credens
ex rationibus & authoritatibus ha-
tenus adductis id sibi licere, præ-
sertim concurrentibus gravissimis
periculis, ni id fiat. 6. In senten-
tia contraria sequuntur gravia peri-
cula & damna corporis & animæ,
offensiones, iræ, homicidia, scan-
dala, infamiæ, perplexitates, despe-
rationes, incontinentiæ (supponun-
tur enim tales circumstantiæ concur-
rere) in ista autem nihil: & quam-
vis omnia illa essent parvipendenda,
si offensa Dei esset manifesta, aliud
tamen videtur, si sit dubia, & incer-
ta. Et si ex duobus malis minus eli-
gi potest, cur non præ malo certo
malum incertum? 7. Contra tex-
tus allegatos opponi potest alius *in*
pastoralis. §. quia verò de offic. deleg.
ubi ordinarius jubetur sententiam

delega-

delegati Papalis executioni mandare, licet sciat esse injustam. Deinde textus cc. loquuntur de illo Casu, quando impedimentum fuit deductum ad judicem fori externi, & mulier non timuit propalare, habuitque non tantum scientiam impedimenti, sed etiam conscientiam de non reddendo debito: neque præter excommunicationem alterius magni damni ibidem mentio fit. Nos verò supponimus, mulierem sine gravi periculo (ut in casu enarrato) impedimentum dicere, vel debitum negare non posse. Decisio autem S. Pontif. in uno casu tollit quidem in eo omnem probabilitatem contrarii, sed non in diverso.

Quid igitur dicendum? Sanè nisi tam gravi censurâ hanc posteriorem sententiam perstringeret Sanch. *d. disp. 39. n. 5.* ut asserat esse *falsissimam, & in fide periculosam* (quod an verùm sit, aliorum judicio relinquo) vix non eam saltem probabilem adstruerem. verùm

ne

ne traducar, velle patrocinari sententiæ, quæ pro periculosa in fide à quibusdam habetur, nolo pro hic & nunc à priori discedere. Responsiones ad argumenta posterioris sententiæ ad 3. priora videantur apud Sanch. *d. disp. 39. n. 12.* Ad reliqua responderi potest, sufficere, quod habeatur decisio S. Pontificis *in c. litteras. & c. inquisitioni.* reddere debitum cum scientia impedimenti esse peccatum mortale, quale peccatum ob nullum metum committere permittitur *d. c. sacris De his quæ vi &c.* contra quam decisionem argumentari non licet. *c. in istis. dist. 4. c. ego solis. dist. 9.* Ad *c. pastoralis. §. quia verò, de offic. deleg.* quid quid alii exinde probare velint, tam in criminalibus quá civilibus causis licere Judici condemnare reum contra propriam suam scientiam, ego tamen potius iis accedo, qui existimant, id præsertim in causis criminalibus minimè licere, sed referendam esse causam ad superi-

orem, coram quo Judex testimonium suæ scientiæ deponat *arg. c. dilecto. de testibus.* sive deinde superior credat, sive non, judex inferior erit excusatus: quod si esset præsentis instituti, possem pluribus rationibus propugnare, ideoque puto textum *in d.* §. *quia verò.* locum habere duntaxat in sententia *iniqua*, quæ transivit in rem judicatam, & cujus iniquitas ex tacita approbatione (de qua etiam paulo ante in q. 4. dictum) purgata est, secùs verò in causa criminali, matrimoniali, vel ipso jure nulla, quæ in rem judicatam non transit.

Cœterum quid censendum, si non habeatur vera impedimenti scientia, sed tantum credulitas vel dubium, superius *in d. p.* 3. *c.* 5. *pag.* 558. traditum est, & declaratur. *in d. c. inquisitioni. de sent. excom.* & apud Sanch. *d. L.* 2. *disp.* 41.

(o)

Ad

Ad VI. Quæst.

Quæ sint media ad evitandam reddditionem debiti?

VAria enumerat Sanch. *d. disp. 39. à n. 13.* 1. Fugere in locum, ubi scandalum cessat. 2. Matrimonio nondum consummato ingredi Religionem. 3. Petere divortium ex causa sævitiæ vel adulterii, si hæ causæ subsint. 4. Cohabitare sicut frater & soror. jux. *c. Laudabilem. De frigid. & malefic.* subjungit tamen, hoc medio moraliter nunqnam uti licere propter periculum incontinentiæ. 5. Si impedimentum sit juris Ecclesiastici tantùm, ut clam impetretur dispensatio, quam etiam Episcopus concedere potest. ut probat *in disp. 40. eod. lib. 2.*

Quid autem dixisset vir doctissimus in proposita facti specie, ubi juxta recensitas circumstantias nullum ex his mediis profuisset? Non *fuga,*

quia corpori & animæ periculosa, non *Religio*, quia matrimonium cum altero vero marito erat consummatum, & cum tertio communiter habebatur pro legitimè consumato. non *divortium*, quia causa non fuit, non *cohabitatio*, qua propter periculum incontientiæ uti non licet. non denique *dispensatio*, quia impedimentum *ligaminis* est indispensabile, ut suo loco dictum.

Ad VII. Quæst.

An medium quod fœmina apprehendit in nostro casu fuerit justum & licitum.

MAllem sane aliorum desuper judicium audire, quam meum tenue in re difficili & perplexa edicere, & vix firmiter aliquid nunc certi statui potest, quia difficultas *in facto* est, juxta circumstantias loci, temporis & personarum, quæ modo præter narrationem supra positam incognitæ sunt.

Considero quidem, sicut ob damnum,

num famæ, & multo magis vitæ, potest restitutio rei ad alium spectantis differri *Laym. in Theol. mor. lib. 3. tr. 2. c. 12.* ita etiam restitutio corporis ex matrimonio alteri debiti. prout id in specie & ad nostrum propositum, quando prius cum una clandestinè, & postea cum alia publicè contractum est, asserit Sylv. *verbo debitum conjugale. in fine.* Item quòd *restrictiones mentales* ex justa causa à mendacio excusentur. *Nav. in c. humanæ aures 22. q. 5. Sanch. l. 3. Mor. c. 6. Zoes. ad tit. Decret. de jurejur. n. 85.* & denique quod mulier piis operibus addicta, atque consilio Joan. Nyder à doctrina & pietate commendatissimi & celeberrimi usa non facile debeat præsumi in errorem inducta.

Interim tamen cum fœnina juxta descriptionem Joan. Nideri fuerit elegantis formæ, prona ad complexus virorum, quod toties iteratæ nuptiæ indicant, & ex parte altera viri superstites moribus militares, de in-

continentia suspecti, conscientiæ latæ &c. planè hoc medium in se spectatum (abstrahendo à speciali dictamine Spiritus Sancti, quod Legi non subjacet) ab initio quidē in defectu alterius medii tolerari, vix autem in plures annos practicari potuisset, juxta doctrinam San. *d. disp. 39. n. 16.* quis enim non videat, omnes tres personas, scilicet mulierem, maritum verum, & putativum fuisse incontinentiæ periculo affectu & effectu perpetrandæ expositas? Maritum *verum* jure suo sine sua culpa privatum, & insuper potuisse instigante diabolo facile cum alia illegitimum matrimonium attentare? Maritum *putativum* impeditum legitimas nuptias contrahere?

Sed quod remedium? Jam prænonui, hanc *facti* potius, quàm *Iuris* quæstionem esse. Prima *juris* ratio postulavit, mulierem separari à viro *putativo*, & restitui *vero*; vel si hic ob causam adulterii nollet recipere, saltem à *putativo marito* manere

nere separatam, ne in adulterio, aut periculo ejus, perseveret. quomodo autem hoc executioni mandari potuit, absque eo quod mulier proclamaretur, & graviter puniretur tanquam adultera, polygama & perjura?

Putâssem maritum *putativum*, datâ bonâ opportunitate per confessarium vel alios viros idoneos fuisse de nullitate matrimonii certiorandum, & disponendum (qui utique jam sine usu matrimonii constitutus facilè consensisset) ut pateretur negotium ad Consistorium Ecclesiasticum tanquam casum occultum deferri, à quo potuisset pronunciari divortii sententia: *ex causa impedimenti occulti sibi cogniti, & coram se legitimè probati*, & mulieri ob præcedens perjurium aliqua etiam occulta pœnitentia dictari. sicut apud nos sæpe deferuntur casus occulti matrimoniales ad Consistorium, qui ulterius non propalantur. quemadmodum enim SS. Canones, non tantum ad forum

externum, sed principaliter ad *internum* ordinantur. *c. novit. de judic. c. ut animarum de Constit. in 6.* ita etiam Judex Ecclesiasticus, in quantum fieri potest, *fori interni* considerationem habere debet.

Dices, quomodo potuisset mulier probare impedimentum *ligaminis*, cum ipsi tanquam perjuræ, & propriam turpitudinem allegan-ti non fuisset habenda fides *Arg. c. sicut nobis 9. x. de testibus*? & in ordine ad separationem matrimonii jam contracti plena probatio requiratur? Resp. mihi videri, sufficientem esse potuisse probationem ex his concurrentibus: 1. ex depositione veri mariti, jam prius habita. 2. Ex depositione nova ipsius feminæ. 3. Ex depositione Confessarii cum licentia revelandi sigilli sibi â pœnitente facta. 4. ex circumstantiis & dispositione fœminæ, lacrymantis, pœnitentis, fugam periculosam meditantis, â conjugii usu cum maximo incommodo abstinen-

stinentis &c. Quod autem ex vehementibus præsumptionibus (præsertim in causis non capitalibus & ubi non agitur de ablatione vitæ aut membri) sumi possit plena probatio, & exemplo Salomonis 3. *Reg. cap.* 3. aliquando definitiva sententia ferri, notatur communiter *per tex. & DD. in c. adferte. de præsumpt.* Circa tex. quidem *in d. c. sicut nobis.* insignis est disputatio, cui depositioni credendum sit, si testis juratus postea dicat, se perjurium commisisse? Probabilius est, judicem id ex circumstantiis & præsumptionibus concurrentibus arbitrari debere. *Fachin. lib.* 9. *controv. cap.* 84. *Rota apud Farin. in decis. crim. & testium decis.* 119. & 163.

Obtentâ hac divortii sententiâ fuisset jam disponendus verus maritus, (cui jam antea erat cognitum mulieris delictum) ut simulato quasi novo affectu & dissimulato priori clandestino contractu eam publicè in suam uxorem reciperet, quod si noluisset

noluisset, mulier debuisset in Monasterio, vel alio loco sibi non periculoso degere. An autem mulier adultera ante latam divortii sententiam invito marito possit ad professionem recipi? videatur Sanch. de matrim. *lib.* 10. *disp.* 10. *n.* 7. quod communiter apud eum negatur, quia innocens non tenetur invitus dimittere nocentem, & si semel dimiserit, potest denuò recipere.

Si casus de præsenti foret, & circumstantiæ loci, temporis, & personarum cognitæ, forsan melius consilium incideret, interim hoc discursus gratiâ libuit inserere.

Ad VIII. & ult. Quæst.

An separato Matrimonio putativo filii inde nati sint legitimi?

EX supposita narratione, quod matrimonium publicè in facie Ecclesiæ præmissis denunciationibus, & sine contradictione contractum, & unus saltem ex conjugibus

in

in bona fide fuerit proles legitimè nata censebitur. tex. plane ad propositum *in c. extenore. pen. Qui filii sint legitimi. c. 2. Eod. tit. c. 3. §. si quis vero. de clandest. desponſ. Hen. Zoeſ. ad d. tit. Qui filii sint leg. n. 7.*

Hæc demùm omnia in VTROQUE LIBELLO MANUALIS PAROCHORUM ad Laudem & Gloriam Omnipotentis DEI, DEIPARÆ Virginis, S. Caroli, S. Benedicti, atque S. Juonis, omniumque Cœlitum honorem dicta, S. Matris Ecclesiæ, & Cuiusque meliori judicio lubens submitto.

FINIS.

. attestatum scriptum, quando
Martinus Knaup Alfensis ex lapsu
ligni lapsus obijt in Salzcotten.

Attestir ist Ehrbahrer auch
wohlweiser Herrn Johann Knaups,
dass allhier niemig bekandt Herr,
sondern Herr Johannes Conrad
Klein, dass Klagen Verdachtung
ihro Herrl. Gnaden Herrschafft
Brilon Brunnen ohne gepreste
verlaubnuss Abzuefahren solte
auch gefolget Abzuehren. Salzk.
den 21 Maij 1678.

Jodocus Friderici
Pastor Salzk. mp

Copia.

Quando quidem cáa Matrimonialij inter Cath. Summer et Hermannum Nagel per amicabilem compositionem sit transacta, ideo actæ Ordinariâ super hinc emanata, tam inhibitionem per præfatos cassamus, utpp Decret. 24 Julij 1682.

Imbsen Offic. Pad.

Th
2225